XV
B.
48

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XV
B
48
NAPOLI

Digitized by Google

INSTITUTIONES PHILOLOGICÆ, ET POETICÆ

AD SCHOLARUM USUM ACCOMMODATÆ.

A P. FABIO AUGUSTINENSI

DISC. NEAP. PROV.

In lucem editæ.

NEAPOLI MDCCCVIII.

TYPIS JANUARII REALE

Superiorum permissu.

Biblioteca Nazionale NAPOLI

IN PHILOLOGICAS INSTITUTIONES

PROŒMIUM.

CEleb rrimam Artem olim ab Antiquis, nunc a Recentioribus maximum in honorem habitam (scilicet bene apprimeque dicendi Facultatem) tractandam aggredimur, o optimae spei Juvenes dilectissimi.

Qua de re in ipso dicendi vestibulo, hoc unum perbreve monitum operis pretium puto, ut in hanc Facultatem, quae mores excolit; politiores, et urbanos Homines reddit, et eloquentes facit, toto conatu, toto animo, atque enixis viribus (uti fas est) incumbatis.

Verum licet innumera sint, quae in hac Materia tractari possent, tamen ad vos eruditiores instituendos, prae caeteris specialem hunc brevem de Philologia sermonem nunc temporis instituere puto.

PHILOLOGIÆ PROLEGOMENA.

PROL. I.

Quid, et quotuplex sit Philologia; et quae ejus Partes.

§. 1.

PHilologia graecum nomen studium erat veteribus Romanis humaniorum Litterarum. Hinc *Philologi* dicebantur penes ipsos, Historiarum, et variae Eruditionis studiosi. Qui vero Litteras sectabantur variarum Linguarum, *Loyophili*, atque etiam *Grammatici* graece appellati sunt, ut ante nos observarunt Gaspar Scioppius Libro Artis Criticae Cap. 2., et Joannes Wovertius. Nunc vocis hujus hic usus est, ut eam tantum Partem humaniorum Litterarum significet, quae Linguarum naturam, earumque culturam docet, et declarat, quomodo ea, quae cogitamus, illarum auxilio, varia ratione scribendo, et loquendo aliis aperire queamus.

§. 2.

§. 2.

SEd quia de Philologia agentes *humaniores Litteras* nominavimus; non abs re erit, quid earum nomine veniat, perquam breviter aperire.

Studium Litterarum humanarum, vel (ut ajunt) liberalium, et ingenuarum, sub se continet studium illud, quod ex Rhetorica, Poetica, Antiquitatibus, Historia, sana Philosophia, aliquando Mathesi, Medicina, et Jurisprudentia componitur. Igitur notio, vel studium harum Litterarum idem erit, ac notio, vel studium enumeratarum Facultatum. Quamobrem Litterarum humanarum nomine venit varia, et multiplex harum Scientiarum eruditio.

§. 3.

ID hausimus ex Litterarum studiis fieri solitis ab antiqua Romanorum Gente, cui haec Humanitatis studia debemus. Culta enim haec Gens Latii, humaniores Litteras excolebat; atque Eloquentiae, Poesi, ac Historiae multum dabat tempus, ut disertissimis verbis demonstrant Wovertius de Polymathia, Gronovius in Thesauro Antiquitatum Graecarum, et Christophorus Cellarius Dissertatione speciali, quam habet de Romanorum studiis litterariis in Urbe, et Provinciis.

Id quoque collegimus ex Cicerone, Epistola sexta ad Varronem: (Haec sunt ejus verba) *Cum enim te semper magnum hominem duxi, tum quod his temporibus es prope solus in portu: Fructusque doctrinae*

percipis eos , qui maximi sunt , ut ea consideres , eaque tractes , quorum et usus , et delectatio est actis , et voluptatibus iisdem anteponenda , etc.

De Varrone autem constat , quod in cultu Philologiae omne studium posuerit , atque omnem laborem mentis ; cujus ingenii dotes ipse quoque Cicero miratur Libro primo Quaestionum Academicarum .

§. 4.

His summis labiis , (ut ita dicam) delibatis , Philologiam dividimus in *Generalem* , et *Specialem* .

Illa generatim Linguarum naturam , illarumque cultum demonstrat : Haec autem ejusdem Partes interpretatur ; quae sunt *Grammatica* , *Rhetorica* , *Philologia* stricte sic dicta , et *Ars Critices* .

Utraque Philologia vel Theoretica est , vel Practica : Illa viam , et rationem ostendit , qua Philologiae studium coli possit : Per hanc ipsa praecepta transferimus ad usum nostrum , quod cum scribendo , tum loquendo fieri potest .

§. 5.

Ne autem gratis dictum videatur Philologiae Partes esse *Grammaticam* , *Rhetoricam* , *Philologiam stricte sic dictam* , et *Criticam Artem* ; en rationem in medium afferimus harum partium enumeratarum : Scilicet ; Philologia occupata est in oratione , et vocibus ; Quae oratio potest considerari primum prout a nobis discitur , et nobis ipsis usui est ; Nos autem discimus linguas ,

guas, et Philologice studemus, ut mentis nostrae conceptus aliis exponamus; Vel simpliciter, quod facit *Grammatica*; Vel eleganter, et accurate, quod praestat *Rhetorica*, vel *Oratoria*, vel *Poetica*.

Deinde oratio quaedam, et sua indoles in se consideranda est, quod munus est Philologiae stricte sic dictae; tum prout oratio ab aliis adhibita est, quo pertinet Critica.

De singulis speciatim, ac breviter agemus. Et primo.

PROL. II.

De Grammatica.

§. 1.

Grammatica Doctrina est, quae docet quomodo cogitata mentis nostrae verbis recte, et ad bonum usum loquendi accommodate conjunctis ita proponere debeamus, ut alii illa percipiant atque intelligant, sive id fiat scribendo, sive dicendo. Hinc si eam veluti Philologiae Partem inspiciamus, ostendit rectam Linguae cujusdam indolem, atque viam praeparat ad accuratissimam illius cognitionem.

§. 2.

Logicam inter et *Grammaticam* magna est convenientia. Nam *Logica* dirigit cogitationes nostras ad

veritatem : *Grammatica* vero voces, quae respondent cogitationibus ad rectum illarum usum.

Dantur in Logica ideae simplices, dantur in Grammatica voces simplices. Dantur in Logica ideae substantiarum, hinc in Grammatica Nomina substantiva. Dantur in Logica ideae accidentium, hinc in Grammatica Nomina adjectiva etc.

Tradunt Magistri Logices doctrinam de conjunctione idearum, cui respondet Syntaxis.

§. 3.

SUbsidia, quibus Linguae ejusdem scientia comparanda est, duo sunt ; quorum alia praeparant viam, uti est usus Grammaticarum, et Lexicorum : Alia ipsam perficiunt, uti est lectio Auctorum, observatio, et jugis imitatio.

Igitur Grammatica ad ea pertinet subsidia, quae viam praeparant. Quod si ita est, sequitur ut Latinae Linguae ratio vera perdisci haud possit ex solis Grammaticorum libris. Quid? Lingua quaedam crescit; augetur; ornatur usu, et consuetudine : Quis igitur prudens rerum aestimator sustineat, omnia Linguae momenta certis determinare regulis posse?

§. 4.

HAs inconcussas, et stabiles veritates ex dictis colligimus.

Primo, quod *Grammatices* praecepta brevia esse deceant.

Se-

Secundo, quod Lingua vernácula conscribenda sint.

Tertio, quod debeant perspicue declarare, quomodo Lingua, quam docent, cum illa, qua doceant, conveniat.

Quarto, quod Adolescentibus praecepta Grammatices non per multum tempus proponenda sunt.

Haec omnia adamussim praestat Gallico Idiomate primum elaborata, et deinde in nostrum conversa per celebris illa Grammatica, quae vulgo dicitur *Porto Reale*.

Ad hanc pro completa, et erudita Grammatices notione vos remittimus.

PROL. III.

De Rhetorica.

§. 1.

RHetorica ea est Philologiae Pars, quae praecepta tradit dicendi solide, suaviter, distincte, atque eleganter; Qua qui praeditus est, eloquentiae laudes merito sibi vindicare poterit.

Brevius Rhetoricae definitionem damus: *Facultas est recte, et apposite ratiocinandi.*

Finis illius non sola persuasione (ut plerique Magistri hujus doctrinae existimant) absolvitur, sed Oratoris propositum ad id referri debet, ut Auditores, confirmatis illorum animis, assensu suo amplectantur, quae dixerit.

§. 2.

PRaecepta sua in quinque partes distribuit : Quae sunt : Inventio, Dispositio, Elocutio, Memoria, et Pronuntiatio.

§. 3.

Inventio, excogitat Argumenta ad persuadendum idonea.

Dispositio, Res inventas disponit, et ordine Perorationis partes distribuit.

Elocutio, Res inventas, et dispositas exornat lumine sententiarum, et verborum floribus.

Memoria, hujusmodi res inventas, et ornatas in sua penu condit, servatque fidissima, ac diuturna custodia.

Pronuntiatio denique apta vocis modulatione, et convenienti cultu, ac digno corporis gestu Orationem profert.

§. 4.

HInc sine multo Naturae adjumento, et sine exercitationis perennis subsidio, nihil vobis proderit illius Praecepta discere.

Omnes enim ingenue educati Rhetoricam Artem didicerunt; at non omnes profecto eloquentes evaserunt.

Disertos, et Rhetoricorum praeceptis imbutos multos videmus, *Eloquentes* vero paucissimos.

§. 5.

§. 5.

AD Rhetoricam pertinet quoque Poesis, quae Ars, et Facultas est, sensus mentis per varias imaginum species, et fictiones, etiam interdum certa mensura vocum proponendi, ut lectoribus, vel audientibus voluptatem adferat.

Ad Poesim pertinent, romanenses fabulae, Satyrae, Comoediae, apologi, aliaque hujusmodi.

Poesis non absolvitur imitatione Poetarum Graecorum, et Latinorum.

Poetae (ut dicitur) nascuntur, non fiunt.

Qui destitutus est ingenio poetico, haud accedat ad Poeseos studia. Sola enim vocum mensura non absolvitur Poesis. Aliud est enim versus pangere, et aliud carmen fingere.

§. 6.

SUnt, qui in Poetas, et Poesim invehuntur; atque Poetas omnes ob id, quod affectibus inflammentur, aliosque dulciter inflamment, jure Civitatis in orbe erudito excidere putant.

Redeant in Calumniatores calumniae. Nos ita sentimus; Poesin, si rectissime exerceatur, nec rejiciendam, nec damnandam, nec suo loco, quem hactenus in orbe erudito obtinuit, deturbandam esse.

Sed de Rhetorica, Oratoria, et Poetica redibit iterum sermo. Haec modo sufficiant.

Nunc breviter dicamus de Philologia stricte sic dicta.

PROL. IV.

De Philologia stricte dicta.

§. 1.

QUae strictiori sensu sic dicitur *Philologia*, ea Pars est; quae inquirit tam Linguarum puritatem, quam significationes vocum, origines seu etymologias, et alia, ut Linguis conservetur dignitas, et in intelligendis Auctoribus lumen accendatur.

Ex quo sequitur, quod haec disciplina a *Grammatica*, et *Rhetorica* omnino differat; quodque ad illius scientiam multa sint necessaria subsidia.

§. 2.

PRimo necesse est, qui illius laudem consequi velit, Historiam Philologiae sibi cognitam reddere, cujus origo, progressus, et alia fata debent considerari, ut de auctoritate vocum se expedire facile quis possit.

§. 3.

SEcundo: Antiquitatum debet esse peritissimus; Quia ex illis mutae dictiones petitae sunt. Romani dicunt: *v. gr. Saga sumere*, pro ad bellum se praeparare. Cicero Philippica Quinta, et Livius Epitome duodecima utuntur hac phrasi: *Ad Saga ire*.

Sagum, Vestis erat Romanorum non ampla, et al

na-

nates usque demissa, quae propria militum erat, et Romanorum.

Dicitur etiam *Zonam solvere*, pro pudicitiam mulieris imminuere apud Theodoretum, aliosque tum Graecos, tum Latinos Scriptores.

Formulae hujus ea est ratio, quia cingulum laneum, quo Sponsa cingebatur, Sponsus tempore nuptiarum solvebat.

Plura exempla Scriptorum tum divinorum, cum profanorum videte apud Gulielmum Batheum, et Joannem Clericum in Arte Critica, atque apud alios.

§. 4.

TErtio: Nec studium aliarum Linguarum, earum in primis, quae lucem adferunt erit negligendum. Sic multa in Romanorum monumentis sunt ad Graecorum loquendi rationem composita: Quocirca Philologiae Romanae Cultor, et Studiosus Graecam quoque Linguam intelligere curabit.

§. 5.

QUarto: Nec a Philologo Critices studium negligendum erit, ut inter vera, et falsa scripta possit judicare, et Linguarum puritati interdum consulere.

§. 6.

§. 6.

QUinto : Accedet studiosa lectio Scriptorum illius Linguae, quae colitur ; ut facile cognoscantur Idiotismi, Barbarismi, Soloecismi, et nativa elegantia, et proprietates.

PROL. V.

De Critica.

§. 1.

Critica Philologiae Pars est, quae regulas et praecepta tradit, partim emendandi corrupta Auctorum loca, modo ope ipsorum Scriptorum C dicum, modo ope ingenii, partim a veris locis glossemata prudenter removendi.

§. 2.

HInc Criticus Philologia' sricte sic dicta carere non potest ; et valere debebit ingenio, ut conjecturis (cum opus fuerit) indulgeat : Hinc studere debebit sensui veri, et falsi.

Caveat tamen Criticus ingenio suo, suisque conjecturis plusquam est indulgere. His enim legibus destitutus pessimus erit Critices usus, praecipue in SS. Religionis nostrae negotiis, ut demonstrat Opus R. P. Laubrasselli, Parisiis duobus Tomis impressum, etc.

§. 3.

§. 3.

SI Critices regulas scire desideratis, N. N., consulite Gasparem Scioppium, et Joannem Clericum, nec non praestantissimum Virum de Critica Arte optime meritum P. Honoratum a S. MARIA in suis Animadversionibus in regulas, et usum Critices.

Haec sunt Partes Philologiae, quae longiori explicatione indigerent: At quia Litterarum humanarum quum duae sint Partes, videlicet *Philologia*, et *Historia*; explicata Philologia, ejusque partibus, operae pretium ducimus, quaedam, sed brevissime de *Historia* subjungere, quae altera pars est Litterarum humanarum.

§. 4.

Historia igitur describit, et commemorat res gestas, observatis praecipue, loco, quo pertinet Geographia, et tempore sive Chronologia, ut inde ex illa plurimum excipere possimus.

§. 5.

OPtima ratione *Historia* in suas species dividi potest, nempe secundum diversitatem rerum, quae narrantur; Quarum praecipue tria sunt genera: Quum spectant, vel ad ipsum Creatorem DEUM, vel ad res naturales, vel ad res humanas; Hinc triplex est *Historia*, vel *Divina*, quae refert DEI Opera, sive spectent ad Regnum Naturae, sive ad Regnum Gratiae,

et

et hujusmodi est Biblia Sacra. Vel est *Naturalis*, quae commemorat, quae in rebus naturalibus eveniunt. Vel demum est *Artificialis*, quae memorat res ab ipsis Hominibus gestas, atque inventas, ad quam commode referri possunt Antiquitates, quae species *Historiae* sunt.

§. 6.

HIstoria *Artificialis* iterum triplex est, quia ad tres classes referenda sunt, quae Homines agunt. Vel est *Litteraria*, vel *Civilis*, vel *Mechanica*.

Dantur etiam Historiae speciales Gentium, et Regnorum, ut sunt Judaica, Graeca, Romana, Italica, Neapolitana, Nolana, etc., quae subdividuntur secundum tempora in *antiquam*, *mediam*, *et novam*.

§. 7.

EX hac Historiae notione colligitur, Historiam opus habere memoriae; Proindeque ejus studium in juventute magis tractari debere. Hoc enim tempore, ut plurimum memoria est felicior.

Et haec sufficiant de Philologiae Prolegomenis

DIS-

DISSERTATIO PRIMA

PHILOLOGICA.

De Origine, & Fatis Linguæ Latinæ.

CAP. I.

De Origine Linguae Latinae.

§. 1.

QUum Latinae Linguae Philologiam conscribere in animo sit, modumque colendi istam commonstrare; merito ab *Historia* geneseos Latinae Linguae initium ducimus.

§. 2.

LIngua haec dicitur *Latina*, et *Romana*. *Latina* e veteri Latio, Italiae parte: *Romana* autem appellatur a Roma, quae non solum regionis Latii, sed Orbis quoque Terrarum Lux, atque omnium Gentium Arx existimabatur.

Romani elegantiae, et puritati sermonis studebant; et castitati illius (quae misero deinde casu expiravit) servandae operam dabant amplissimam.

§. 3.

A Qua Gente Latinae Linguae origo sit deducenda, discrepant inter se Auctores.

Sunt, qui existimant natam esse hanc Linguam a Teutonica. Ita putavit Joannes Ludovicus Praschius, qui Dissertationem edidit de origine Germanicae Linguae Latinae, in qua sibi proposuit ostendere, quod Germania veras radices habeat. Unde hac de re scripsit Onomasticum Latino-Germanicum ex illis tantum vocabulis compositum, quae sono, sensu, atque origine cum Germanicis conveniunt.

Eamdem sententiam sequuti sunt Cluverius in Germania antiqua, Pezron de Lingua Celtarum, et plures alii, ad quos accessit clarissimus Joannes Nicolaus Fungius in Tractatu *De origine Linguae Latinae*.

§. 4.

HOrum argumenta partim desumuntur a bellis, et commerciis Italorum cum Germanis, partim a similitudine, quae reperitur inter multas voces Linguae Latinae, et Germanicae. Sed haec aliis nihil firma videntur; proindeque existimant, quod origo Linguae hujus majori jure ex Graecia sit derivanda; de qua sententia, atque rationibus, quibus confirmatur, legi potest doctissimus Christianus Falsthenus *in Quaestionibus Romanis*.

Dantur aliae opiniones, quas non est, quod omnes hic recenseamus.

§. 5.

§. 5.

UNum tamen hic notetis velim, inter harum rerum Scriptores, non esse consensionem, num Romulus condiderit Romam, an ista condita sit ante Romulum; quod posterius adfirmavit Bartholomaeus Riccardus in Dissertatione de Roma ante Romulum condita: Itemque, num Romulus aliam invexerit linguam.

Id verisimile est, hanc Linguam primum mixtam fuisse, et barbaram; Quintiliano teste, Lib. 1. Institutionum Oratoriarum Cap. 5. Quum enim Romulus, primus Romanorum Rex, in Urbe asylum aperuisset, convenerunt in una moenia homines dispari genere, ac dissimili lingua: Coaluerunt tamen illi facile in unam gentem. Hinc accesserunt alii Populi lingua, et moribus haud pares, quae tamen lingua successu temporis in Latinam mutata est.

Certum est tamen Latinos de Graeca Lingua multum admisisse, neque hoc difficile ad credendum est; quoniam non pauca Graecismi vestigia Latino Sermone passim reperiuntur.

Hujus vero Linguae tardior progressus fuit, nec nisi aucto Romano Imperio, coepit sua incrementa.

Quare,

CAP. II.

De Linguae Latinae Ætatibus.

§. 1.

NOn eadem, et aequalis singulorum temporum Latinitas fuit, sed sensim propagata est, et ornamentum adquisivit.

Varia ratione Scriptores Latinae Linguae progressum, et incrementa, et illius diminutiones significare voluerunt, ut ejus fata cognosceremus. Nos autem in his considerandis, ejus Infantiam, Adolescentiam, virilem Ætatem, Senectutem, et Senium perbreviter considerabimus, ut tam vastae materiei aliquam tribuamus methodum, ac ordinem. Sit igitur.

§. 2.

INfantia Latinae Linguae fuit ab Urbe condita usque ad Pyrrhi tempora, hoc est, ante JESU CHRISTI Adventum anno 280. juxta Langletum. Hujus vestigia extant in Fragmentis Legis XII. Tabularum, aliisque Monumentis, ex quibus arguemus Latinam Linguam principio fuisse rusticanam, horridam, ac penè barbaram, ut probant sequentia verba: *Pictai*, *Quojus*, *Queis*, *Jous*, *Joudex*, *Jousticia*, *Heic*, *Servos*, *hunc Servom*, *Volt*, *Voster*, *Optumus*, *Maxumus*, *Amaxim*, *Amaxo*, *Amarier*, *Docerier*, *Dociundum*, *Faciundum*, *etc.*

Et merito quidem ; nam principio Romani nulla alia re, quam militari, et rustica versabantur.

Exempla Linguam hanc clarius nobis repraesentabunt: Jacobus Facciolatus Inscriptionem affert aevi multo posterioris, et ad Linguae Adolescentiam proxime accedentis, quae ruditate verborum, adlata monumenta longissime superat.

Hujusmodi Inscriptio haec est :

Hoinc . Oino - Plorume . Consentiont . Romani -
Bonorum Optimum fuisse Virum
Luciom . Scipione . Filius - Barbati
Consol - Censor . Aidilis heic faita .
Hic caepit Corsica . Aleriamque Urbem
Dedet tempistatebus . Aidem merito -

Hoc est, ut Jacobus Sirmontius interpretatur :

Hunc unum . plurimi consentiunt Romani .
Bonorum . optimum - fuisse virum .
Lucium . Scipionem . Filius . Barbati .
Consul - Censor . Ædilis hic fuit -
Hic . caepit . Corsicam . Aleriamque Urbem .
Dedit - tempestatibus aedem - merito .

§. 3.

HÆc Pueritia : Adolescentia vero Linguae Latinae est a Pyrrhi temporibus usque ad Sillae : Qua aetate caeperunt Romani Graecas litteras ediscere, et Atticum mel in Latium transvehere. Et optimi Scriptores extiterunt, in quibus videas quidem ipsum aetatis florem in aliis lutulentum adhuc, ut in Ennio ; in aliis hor-

rentem paullulum, ut in Catone; in aliis luxuriantem, ut in Plauto, etc.

§. 4.

UT specimen habeatis Linguae Latinae istorum temporum, praeter enumeratos Auctores, legite scripta, et Fragmenta, quae ex Cicerone, Varrone, Macrobio, Gellio, aliisque collegit Robertus Stephanus, vulgavitque Henricus ejus filius.

Virilis Ætas viguit Julii Caesaris, et Octaviani Augusti temporibus, quae *aureum* dicuntur Linguae Latinae *Saeculum*, quo Romani cum Graecis, tum sapientiae, tum eloquentiae studiis contenderunt, et in summa maximi Imperii amplitudine, ac splendore versati fuerunt, ut in summa ejus Imperii potentia Linguae Latinae robur firmatum fuerit. Eam enim hoc aevo excoluerunt Varro Romanorum vir doctissimus, elegantissimus Caesar, eloquentissimus M. T. Cicero, vehemens Sallustius, lacteus Livius, nitens Lucretius, sublimis Virgilius, Horatius in Lyricis novus, in Sermonibus, atque Epistolis purus, facilis Ovidius, cultus Tibullus, Graecis gaudens Propertius, plenissimus elegantiarum Catullus, nec non candidus Phaedrus, etc.

§. 5.

DEcrescente aetate initium fecit Tiberius Caesar, qui, cum brevi loquendi genere delectaretur, ac perplexo; et oppressa libertate, Cives Romani, partim ob metum, partim ob adulationem recta animi sensa in-

ve-

vertere, et acria secari conarentur; Hinc impurum, et obscurum sermonis genus invaluit.

Sed proxime accesserunt ad Ciceronem Quintilianus, ad Sallustium Tacitus, ad Livium Quintus Curtius.

Elegantissimi ea aetate fuere ex Historicis Suetonius; Ex Poetis Juvenalis: Vellejus autem genere scribendi quodammodo facto utitur, venusto tamen; Homo (ut ait Ludovicus Vives) congestor potius, quam digestor, et ostentator, quam peritus; loquaculus sine eruditione. Tres autem Senecae, Philosophus, Rhetor, Poeta, magis sententiis, quam eloquutione commendantur. Ejusdem census est Plinius, et Cornelius Nepos. Lucanus autem tumet, Statius audet, Martialis saepe abutitur Lingua, Persius, se, et sua, Poesi caliginosa involvit.

§. 6.

HAnc Linguae aetatem terminat Hadrianus, a quo Linguae Latinae senium ad Theodosium usque tractum est.

Quum enim successu temporis Latium invasum fuisset a barbaris Nationibus, bonarum Litterarum studia, aut a nemine, aut a paucis excolebantur. Itaque Lingua *semibarbara* facta est. Scripserunt tamen illa aetate Lactantius Firmianus omnium Patrum latinissimus, Hieronymus Ciceronianus, Sanctus Parens noster Augustinus sententiis magis acutus, et S. Gregorius numero ferme poetico delectatus est. Inter Poetas floruerunt Ausonius, et Claudianus, ille acutis sententiolis,

hic elocutione commendatior ; Atque haec aetas in Symmaco, et Boetio finem fecit.

Tandem Lingua intermortua est ubi cum Linguis Barbarorum, qui Italiam nostram occupavunt, prorsus confusa est : Et Romanae Leges quibuscum Lingua vixit, antiquitate perierunt ; ex qua confusione haec nostra Lingua vernacula, quae Italica appellatur, exorta est.

§. 7.

TAndem post varias Linguae hujus vicissitudines, postquam per tot saecula oppressa fuerat, ope Graecarum literarum, quae caeperunt in nostra Italia addisci ; illa in pristinum restituta fuit decus, et nitorem.

Hoc debemus clarissimo Leonardo Aretino, Francisco Barbato, Jo: Baptistae Guerino, Pogio Florentino, et aliis: Quibus accesserunt doctissimus Laurentius Valla, cujus ingenium, industriamque, nemo satis laudavit: et urgente quartodecimo seculo, Hermolaus Barbarus, Joannes Baptista Mantuanus, Angelus Politianus, et alii clarorum nominum.

At quid dicendum de Petro Bembo, Antonio Sabellico, Paulo, atque Aldo Manutiis, Antonio Mureto, et aliis pluribus ?

Legite Jacobum Facciolatum in dissertatione de Reparatone Linguae Latinae, ut rectum de istis judicium efformare possitis.

Haec bonarum literarum lux in Italia accensa, radios suos in alias quoque regiones sparsit, nempe ad Gallias, Hispanias, ad Anglos, et Germanos.

§. 8.

§. 8.

HÆc Latinae Linguae Historia. Ut autem in legendis enunciatis Auctoribus rite procedatis, quasdam pro coronide hujus Capitis addimus animadversiones.

Ex his igitur Scriptoribus verba deligenda sunt, ut vitetis vitium, quod *barbarae lexeos* dicitur, in quod offendunt, qui verbis utuntur apud Barbaros primum natis, nec unquam a Latinis usu receptis.

§. 9.

PRaeterea necesse est, ut ea verba ita, uti diximus, lecta impendatis quoque significatione latina, ne admittatis vitium orationis, quod *barbarae significationis* appellatur; ut si, v. g. sumatis a Latinis hoc verbum *Hostis*, quod quidem latinum nativum est, sed illo utimini, ut significet *Castra*, qua significatione apud Italos faemininі generis est, et castra tum nostra, tum hostium significat, in hoc casu vox latina quidem erit, significatio vero barbara.

§. 10.

SEd tum primum, cum secundum vitium, Lexicorum ope facile declinant Lingua mediocriter eruditi. In illud vero saepissime incidunt, qui voces latinas significatione diligunt latina, sed compositio latina non est. Nam facile quis sumat *verbum facere*, et verbum *malum*. Utrumque *latinum* est, et latina gaudet

si-

significatione : Nec contra Grammaticae praecepta quis peccat , si dicat : *Malum tibi faciam* . Haec namque oratio neque solaecismo ullo, neque vitio barbarae lexeos , vel significationis laborat ; sed compositione barbara reprehenditur : Nam nos Itali cum verbo *malum* verbum *facere* jungimus , quum Latini e contrario verbum *dare* componant. Itaque qui sic loquitur , verbis quidem latinis utitur , sed phrasi , seu elocutione Italica.

§. 11.

HInc videtis , non satis esse recte didicisse varia Grammaticorum praecepta , ut quis latine loquatur . Nam haec dumtaxat utilia sunt , ut in oratione errores non admittamus , non autem ut barbarae orationis vitium vitemus . Sat enim sunt Lexica , ut certi simus nos latine loquutos esse : Haec enim ut plurimum nobis exhibent verba singula , eorumque varias significationes aperiunt , Compositionem tamen non docent , in qua Latinitas spectatur . Conatus porro est Latinitatis Studiosos hac in re juvare Robertus Stephanus in suo Latinae Linguae Thesauro , in quo latinas omnes verborum latinorum compositiones complexus est . Itaque si ejus Thesaurum perquiratis , nullum Latini Sermonis probatum Scriptorem invenietis , qui cum verbo *malum* vocem *facere* conjungat : At vero multi vobis occurrent , qui cum voce *malum* verbum *dare* componant.

§. 12.

§. 12.

AB hac Linguae Latinae Historia, quam modo narravimus, dividuntur latina verba in *antiqua* et *nova*. *Antiqua* sunt, quae aureo Linguae saeculo per Romanorum ora desueverunt: *Nova* autem censentur illa, quibus post eam aetatem usi sunt.

Antiquorum vitandae primum litterae et diphtongi, deinde voces Julii Caesaris, et Octaviani Augusti aetate exoletae; Ut *Lacruma* pro *Lacryma*, *Aula* pro *Olla*, *Oppido* pro *valde*. Tum inflexiones ut *die* dativo casu pro *diei*, *Amasso* pro *Amavero*, *etc.*

§. 13.

SUnt qui Linguae Romanae, quae Caji Julii Caesaris, et Octaviani Augusti temporibus viguit, adeo sint religiosi, ut quod in ejus aevi Scriptoribus scriptum non inveniant, *Latinum* non putent, sed fallantur; quia dubium non est, quin ante, et post ea tempora Lingua vixerit Latina. Hincque factum arbitror, ut quam Scriptores aurei haberi velint, in maximas angustias redigantur: Quum enim hi non omnia verba, neque omnes loquutiones ad explicandum necessarias nobis praescriptas reliquerint, non raro ipsi ad vocem aliquam excogitandam noctes, diesque (et fortasse inutiliter) insumunt.

§. 35.

§. 14.

EGo autem sic existimo, ut omittamus *antiqua*, quae constat aureo seculo desuevisse, et facile aureae aetatis *novis* vocabula antiquorum loco supponamus.

§. 15.

NEque timor subest, ne monstro simile sit, quemadmodum isti ajunt, ut quis Lingua loquatur, in qua coeunt verba, et loquutiones Scriptorum, qui tanto temporis intervallo inter se divisi scripserunt. Nam si litteris, diphtongis, inflexionibus, Syntaxi aureae aetatis utar, neque aliter ea aetate Romanos loquutos fuisse constet, quis me antiqui, vel novi sermonis arguat? Neque enim loquimur, Romanis defunctis, quibus id sane mirum videri posset, et nos hoc vitio fortasse notarent, sed scripsimus nostrae litteratorum virorum aetati, a quibus jam omnes Linguae Auctores perfectos esse censendum est.

§. 16.

ILlud sane exploratum est, non cuilibet licere, nova in Latina Lingua excogitare vocabula; ea enim est potestas solius Populi, apud quem *arbitrium est, et jus, et norma loquendi*. Et quamvis solis Poetis comicis liceat nova vocabula excogitare, iis tamen, sumpta prudenter venia, permissum est, servatisque analogiae praeceptis; ita ut nova vocabula a latinis vo-

ca-

cabulis deriventur ; *Ex. gr.* Ut a *coelestis* factum est *coelestissimus*, ita a *terrestris* facias *terrestrissimus* : et quemadmodum os Ciceronis *coelestissimum* dictum est, ita animus avari terrenis rebus deditus *terrestrissimus* dici posset.

Porro si haec a Poetis, qui (ut Cicero ait) alia lingua loquuntur, servanda sunt; scilicet, ne in excogitandis novis vocabulis integra ea a barbaris sumantur, eo minus nobis illis uti licet, qui sermone latino uti debemus. Itaque si ad aliquid explicandum nullum aliud nisi barbarum vocabulum nobis occurrerit, si abstinere possimus, abstinendum est. Ut si quempiam occisum esse narrandum est, et novo teli genere Romanis incognito occisus sit, ac proinde latinum vocabulum non suppetat, si id narrare non est necesse, relinquas. At si teli genus exprimere necesse est, videas primum commode id a forma, et usu circumscribere possis, et pro uno vocabulo barbaro, plurium circuitione latinorum verborum utaris.

Si id commode fieri nequit, ne religiosas Latinorum aures offendas, petita prius venia, illis formulis adhibitis : *Pace sit* : *Liceat dicere* ; aut aliis hujusmodi ; proprium ejus teli vocabulum latino more perloquaris.

Sed si postremo ea vox nuncupatur, ut in latinam formam conformetur ; tunc denique barbarum vocabulum barbare proferri poterit : Ut si telum illud, quod vernacula lingua *Bajonetta* appellatur, sic exprimere debeas :

§. 17.

A Significatione dividuntur vocabula, quod alia plus, alia minus significant, alia rem ipsam exaequant. Quae plus significant, inserviunt illi amplificationis parti, qua exaggeramus: nam rem supra meritum auget quis si pro peccato dicat *scelus*.

§. 18.

QUae minus significant, usui sunt alteri amplificationis parti, quae rem attenuat: Ut si vicissim pro *scelere*, *peccatum* dixeris.

Ea vero, quae rem ipsam exaequant, illa sunt, quae illud ipsum omnino significant, quod mente concipitur, et eorum significatio *nativa* vocatur. Ut si sermo sit de re, quae digna sit dici *scelus*, *scelus* appelles *peccatum*.

§. 19.

SEd ut vobis clarius hoc innotescat, sciatis oportet, nulla Lingua stricte loquendo, reperiri ista, quae *Synonima* vulgus appellat. Nam nullum sane verbum est, quod idem, ac aliud, aut saltem eodem modo significet, aut postremo ejusdem sit aetatis.

En haec tria *peccatum*, *scelus*, *nefas* inscienti adolescentulo exponuntur in istis Synonimorum Libris, quasi idem significent; sed re quidem vera significatione plurimum inter se differunt. Nam *peccatum* quamcum-

cumque communem culpam denotat: *Scelus*, est amicum prodere: *Nefas* autem, filium necare.

§. 20.

Et quamquam plurima verba idem significent, tamen non eodem modo significant, ut *irasci*, et *ira inflammari*: Illud enim sedatam, haec perturbatam rationem docent.

§. 21.

Sed etsi plurima verba idem, eodemque modo significent; non tamen ejusdem aetatis illa fuerunt; Ut *Gnatus*, et *Filius*: Verbum enim Gnatus antiquius est, et proinde illo Poetae utuntur: Qui autem soluta oratione, et sermone Imperatoris Augusti temporis loqui velit, illo numquam utetur.

§. 22.

Elegantia igitur virtus orationis est, quae in singulis verbis spectatur; ideoque tam difficilis usu, quam facilis visu.

Illa enim virtus in oratione suberit, quum ad explicanda nostrae mentis sensa, non quaeque verba deligemus, sed quae ad explicanda mentis sensa nata fuerunt.

§. 23.

§. 23.

SUnt autem ut plurimum vocabula propria, et aliquando necessitatis causa per metaphoram translata; Quae, quum propria deessent; Populus primitivus invenit; et eodem jure quasi propria censuit. *Calamitas*, ex. gr. accipienda est proprie pro *calamorum imminutione*; i. e. quum segetum calami confringuntur grandinibus, vel procellosa tempestate. Uti apud Terentium in Eunuco, Act. I. Sc I. *Nostri fundi calamitas, etc.*

Translate postea apud Latinos accipitur pro *miseria*, et quolibet *infortunio*.

Ad has tamen significationes addiscendas, plurimum conducit etymologia, quae verborum origines aperit, atque eorumdem progressus ostendit.

DISSERTATIO II.

De Styli Cultioris Romani Ratione.

CAPUT I.

Quid sit Stylus; et quae genera illius.

§. 1.

STylus varias accepit significationes. Proprie *Columnam* significat, a voce graeca *Stylos*. Primario tamen denotatat instrumentum ligneum vel ferreum, vel alterius materiei, quod in modum parvae columnae sit rectum, atque acuminatum.

Praetera saepissime ponitur pro instrumento scriptorio ferreo, vel aeneo, quo in ceratis tabellis Veteres scribebant, quod ab una parte acuminatum erat ad literas efformandas; ab altera obtusum et planum ob delendum, si opus fuisset, quod scriptum fuerat, et ceram rursus complanandam. Alio nomine dictum fuit *Graphium*.

Attamen translate vox *Styli* ponitur praecipue pro modo scribendi, ac dicendi; itaque Stylus a nobis accipitur pro modo, et forma, qua mentis nostrae cogitata scribendo, ac dicendo proponimus.

§. 2.

De Styli Divisione.

Dividitur Stylus 1. in Sublimem : 2. Simplicem : 3. et Mediocrem.

1. Sublimis est, qui constat verbis splendidis, et sententiis magnificis; unde tria ad hujus Styli majestatem requiruntur.

Primo. Res sublimis, de qua disseritur; deinde sensus sublimis mentis nostrae; tertiò verba sublimia.

Verba dicuntur *sublimia* vel auctoritate Veterum, vel sono, vel significatione, vel singulari eorum junctura, vel Tropis, et Figuris.

2. Simplex (qui etiam *tenuis*, et *infimus* appellatur) est ille, qui praeter verborum elegantiam, nihil ferè ornamenti, ac figurarum admittit.

Debet esse instructus puritate, perspicuitate, evidentia, et probabilitate. Quare verba debent esse nativa, oratio distincta, et res ponens ob oculos, carens concursu longarum vocalium, Tropis, et reliquis vehementioribus Schematibus.

3. Mediocris denique (qui aliàs *floridus*, et *politus* dicitur) est, qui medium quemdam locum obtinet inter *sublimem*, et *simplicem*.

§. 3.

De usu Stylorum.

1. *Sublimi* utimur, in Poemate Epico, in Tragoediis, etc. 2. *Mediocri* in historicis narrationibus. 3. *Simplici* in Epistolis, Dialogis, Comoedhis, et sermone familiari.

§. 4.

Monitum.

ADvertat qui scribit, illum stylum sectari, qui ad rem, de qua agit, maxime sit aptus.

Magna graviter: (ait Cicero) *Mediocria* temperate: *Simplicia* humiliter afferat. Dici enim solet: Subsellia grandiorem, et pleniorem vocem desiderant.

Hinc usus styli *sublimis* est in declamatoriis orationibus, imprecatoriis, exprobratoriis, objurgatoriis contra vitia, vel scelera; item in exaggerationibus. Quapropter in Genere Deliberativo semper est adhibendus uti et in Tragoediis.

§. 5.

Alia Styli Divisio.

DIviditur secundo stylus in *Laconicum*, et *Asiaticum*.

1. *Laconicus* est brevis, et acutus, quo multa paucis

dicuntur. Ita dictus fuit a *Laconibus*, qui maxime illo utebantur.

Asiaticus est, qui fusiori orationis ambitu circumscribitur, multisque verbis pauca dicit.

Nomen accepit ab aliquibus Asiae Populis, qui illum in deliciis habuerunt. Hinc alio nomine *Laconicus* a nobis dicitur *concisus*; *Asiaticus* autem *circumductus*.

§. 6.

De stylo conciso, seu Laconico.

STylus *concisus* breviores habet periodos, nec admittit verba superflua: Alia autem respuit, quae majoris ornatus, elegantiae, ac perspicuitatis causa addi solent.

In hoc stylo voces sint lectissimae, et magna significandi virtute praeditae, ne epithetorum frequentia egeant. Nihil adhibeatur, quod, salvo eorum sensu, possit removeri. Sententiae sint breves, phrases adstrictae.

Sit exemplum. *Vide quanta in te sit suavitas! Xenomenes hospes tam te diligit, quam si vixerit tecum. Is omnia pollicitus est, quae tibi essent opus. Facturum puto. Mihi placebat, si firmior esses, ut te Leucadem deportares, ut ibi te plane confirmares*, etc. Cic. Epist. ad Famil. Lib. XVI.

Hoc stylo nitent Seneca, Tacitus, Curtius, Plinius junior, Cicero in epistolis ad Atticum, Symmachus, Severus Sulpitius, etc., qui elegantiam suam collocaverunt in argutiis, in acutis loquendi formulis, et sen-

tentiolis, per quas nonnulli immerito singularem dignitatem orationi conciliare solent; adeo ut nullam vim eloquentiae monstrari posse sibi persuadeant, nisi argutiae ubique appareant.

§. 7.

De Stylo circumducto, seu Asiatico.

STylus circumductus longiores habet periodos, multaque adjicit caussa ornatus, atque elegantiae, ut illae possint ampliari.

Cicero hanc dicendi formam saepe adhibuit, praecipue in Oratione ad Quirites post reditum.

Christophorus Cellarius Dissertatione Academica ait: *Asiaticam abundantiam nonnulli objiciunt Ciceroni, sed frustra; quia Rhodio potius stylo usus fuit, qui medius est inter Laconicum, et Asiaticum.*

§. 8.

De Styli Divisione, quatenus est vitiosus.

DIviditur denique Stylus, quatenus sit vitiosus 1. In *tumidum*, et *inflatum*: 2. *Puerilem*, ac *frigidum*: 3. *Fluctuantem* ac *dissolutum*: 4. *Siccum*, et *exsanguem*.

§. 9.

De Stylo tumido.

STylus tumidus est, qui verbis, ac sententiis supra modum intumescit.

Hoc vitii genere laborant Lucanus, et Claudianus Poetae.

Item, qui hoc adhibuit exordium:

Fatunam Priami cantabo, et nobile bellum. Horat.

§. 10.

De Stylo puerili.

PUerilis ornamenta quaedam puerilia, et frigidos lepores admittit. Ineptas allusiones, affectata verba, luxuriantes descriptiones continet.

§. 11.

FLuctuans, seu *dissolutus* sine articulis numerorum huc illuc fluctuat, sibi numquam cohaerens.

Exemplum extat apud Auctorem Librorum ad Herennium:

Socii nostri quum belligerari nobiscum vellent; ratiocinati profecto essent etiam atque etiam, quod possent facere; siquidem sua sponte facerent, etc. *Solent enim homines cogitare, qui magna volunt negotia gerere*, etc.

§. 12.

§. 12.

De Stylo sicco.

STylus *siccus*, seu exsanguis tandem est, qui nihil ornamenti, aut succi habet.

Hoc styli genus Frontoni vulgo adscribitur.

CAPUT II.

De Virtutibus, ac Vitiis Styli.

§. 1.

HAud sufficit stylorum diversitatem nosse; necesse est, ut Philologiae Candidati virtutes quoque styli, et illius vitia apprimè pernoscant, ut virtutes sibi comparent, vitia autem evitent.

Quintilianus Institutione I. Oratoria, Cap. 5. ait: omnem orationem tres habere virtutes, idest: 1. Ut emendata: 2. Lucida, 3. et ornata nitescat.

Hinc styli tres virtutes adnotamus: 1. *Loquutionem emendatam, et latinam*: 2. *Perspicuitatem*: 3. *et suavitatem*.

Singulas speciatim enunciando, ubi locus aderit, vitia quoque obiter ostendemus.

§. 2.

De Loquutione emendata.

IN hoc primum elaborabimus, ut loquutio sit *emendata*, et *latina*.

Romani exemplum nobis praetulerunt; quippe qui quum adhuc vigeret Latinitatis felicitas, nativae linguae cultum servare, et in dies magis expolire studebant.

Cicero De Oratore Lib. III. Cap. 13. ait: *Neque vero in illo altero diutius commoremur, ut disputemus quibus verbis assequi possimus, ut ea, quae dicemus intelligantur, latine scilicet dicendo verbis usitatis.*

Et alibi dixit: *Fundamentum Oratoris est loquutio emendata, et latina.*

§. 3.

Duo Latinitatis praesidia.

DUo tamen sunt puritatis, et castitatis hujus praesidia. Auctoritas illorum, qui Latinitatis gloria floruerunt; et analogia.

Auctoritas continetur certis temporum limitibus, intra quae illi Scripores veteris Latii vixerunt; quos merito imitamur, et per eorum auctoritatem nostro sermoni dignitatem conciliamus.

Hi autem limites neque longiores, neque breviores sunt constituendi. Nec enim quamcumque Latinitatem de-

debemus amplecti, sive illa sit aetatis aureae, sive argenteae, sive aeneae, sive ferreae. Hi enim omnes vocabula pura cum impuris conjungunt; nec illam solum probare debemus, quam aetas aurea, et Cicero nobis praebent; haec enim Latinitas superstitiosa dici potest; sed media via incedendum: adeo ut nec omnes cujuscumque aetatis Scriptores sint amplectendi; nec illi duntaxat, qui aurea aetate floruerunt. Ut enim Scriptores saeculi aurei et argentei quandoque sua habent menda; (quum modo archaismos, modo graecismos, modo fariores voces usurpent:) Sic aetas aenea ferax fuit ingeniorum, quorum latinitas non penitus contemnenda est.

Tutius est Scriptores aurei et argentei seculi prae manibus semper habere, atque ab eorum latinitate non discedere.

Verum quum a Scriptoribus, qui in manibus nostris versantur dependeat auctoritas, regulas quasdam observandas heic subjungemus.

§. 4.

Regulae ad assequendam puram Latinitatem.

I.

AUctoritas unius haud satis est: Duorum enim vel trium requiritur: Ex. gr. haec vox *Insalutatus* non est frequenti usu adhibenda, quia unius Virgilii auctoritate nititur. Ævo tamen Latinitatis inclinatae illam ad-

adhibuit Divus Hieronymus, vitam conscribens S. Pauli primi Eremitae.

II.

Auctoritas dubia, quum scilicet Scriptorum Codices discrepant, nullius ponderis est. Ex. gr. vox *Internus* non est latina, nec probari potest ex epistola VII. Heroica Ovidii; nam aliter legunt viri docti.

III.

Auctoritas unius ex seculo aureo, et alterius ex argenteo sufficit. Ex. gr. vox *literatura* est probae notae; quum illam adhibuerit Cicero Philippica II. *Fuit in illo ingenium, ratio, memoria, literatura, cogitatio, diligentia.* Et Quintilianus Lib. II. ait: *Grammaticam in latinum transferentes* literaturam *vocaverunt.*

IV.

Auctoritas Poetarum sola non probat, nec usum inducit, nisi accedat auctoritas Scriptorum solutae orationis. Ex. gr. haec vox *manifestare* etiamsi apud Ovidium Lib. XIII. Metamorphoseon legatur, illam tamen quum nemo ex Scriptoribus, qui feliciori Latinitatis aevo soluta oratione scripserunt adhibuerit, probanda non est.

V.

V.

Inscriptiones, dummodo aliorum auctoritas accedat et probet, auctoritatem faciunt. Ex. gr. vox *nutrizius*, quae invenitur in veteri Inscriptione apud Gruterum, adhiberi potest. Illa enim usus fuit Caesar Lib. III. de Bello Civili.

VI.

Voces adhibitae a Poetis etiam saeculi ferrei, atque aenei auctoritatem faciunt, dummodo nullae aliae voces adsint, quibus uti possimus. Ex. gr. *saxosus*. Vox haec reperitur apud Virgilium, et Claudianum: Et quum nulla alia suppetat ad exprimendum mentis nostrae sensum, illa possumus uti.

Item. Verba Celsi, Plinii, Senecae, Columellae non sum contemnenda, maxime si de Re medica, vel de aliis rebus physicis scribendi occasio advenerit.

§. 5.

De Analogia philologica.

ALterum praesidium praebet analogia, quae in hoc sita est, ut verbum dubium ad aliquod simile, de quo non quaeritur, referat: sicque incerta certis probentur; adeo ut nec Adverbia, nec Adjectiva, nec Diminutiva adhibeantur, nisi ab aliquo Verbo, vel Nomine apud omnes recepto derivent.

Haec

Haec autem analogia plus ponderis habet, quam auctoritas ipsa - Quod videri potest in hoc Adverbio *In praesentiarum* : h. e. in harum praesentia rerum Etsi enim haec vox auctoritatem habeat apud Catonem, Ennium, Nepotem, et alios, qui aetate aurea, et argentea floruerunt; attamen quia ea vox in tota Lingua non invenitur; ideo non immerito de illius puritate dubitarunt Eruditi

Nec sufficit, quod haec vox, et aliae similes v. gr. *Nedum*, *agedum*, *veluti*, *prorsus*, *fortuito*, *affatim*, *dumtaxat*, etc. consuetudinem praeseferant: Distinguenda est enim consuetudo plebeja a docta.

Voces enim istae a consuetudine plebeja ortum habuerunt, non autem a docta; unde etsi illis uti, piaculum non sit, attamen quum ab illis cavere possimus, caveamus.

De vitio huic virtuti opposito (idest emendatae loquutioni) sat loquuti sumus in §. *De latinorum verborum delectu*.

§. 6.

De Perspicuitate.

SEcunda virtus est perspicuitas, quae efficit, ut orationes nostrae finem suum obtineant; idest, ut intelligantur, et mentis nostrae cogitationes aliis clarissime pateant.

In quo consistat haec virtus ex *obscuritatis* vitio ipsi opposito, facile colligere poterimus.

Obscuritas autem oritur partim ex ipso stylo, partim

tim a sententiis, mentisque cogitationibus.

Quae oritur ex ipso stylo ad tria capita refertur: 1. Ad vocabula: 2. Ad constructionem: 3. Ad formam styli.

§. 7.

Obscuritas a Vocabulis.

AD vocabula, ac phrases obscuritas refertur, si illa sint obsoleta, peregrina, vel noviter inventa.

Si loquutiones sint nimis translatae: Si per ipsas, ad Fabulas obscuriores, vel Historias secretiores alludatur.

Exempla habemus in Plauto, aliisque Comicis, et Juvenali, Persio, Statio, etc.

§. 8.

Obscuritas ob Constructionem.

AD Constructionem refertur obscuritas, ubi verborum ordo est nimis perturbatus; quum scilicet *Incisa* nimis cumulantur. Vel dum elegantiam, ac suavitatem per superstitiosum studium sectamur.

Ex hoc enim interdum cogimur perturbatas aliquas Constructiones adhibere, atque illa divellere, quae juxta se ponenda essent.

Hujus vitii exempla habemus in Poetis, qui Scriptoribus solutae orationis sunt obscuriores, quoniam ratione metri naturalem constructionem multoties negligere coguntur.

Hoc

Hoc autem, quod in Poetis vitium non omnino dici potest, summo adscribitur vitio Oratoribus, qui ad suas perindos exornandas, a vera eloquentia discedunt; quae claritatem primo requirit, et postea verborum sonum, ac mensuram. Quod si mensura haberi non possit, perspicuitati erit consulendum.

§. 9.

Obscuritas ob formam Styli.

Ad formam styli referenda est obscuritas; si stylus adhibeatur nimis *concisus*, vel nimis *circumductus*. Quo enim sunt periodi breviores, aut longiores, eo solent esse obscuriores.

Eadem est ratio styli *sublimis*, quem, ut nonnulli assequantur, facile absurdis epithetis, loquutionibus dure translatis, numero affectato, ac superstitioso adornant; ex qua dicendi forma omnino oritur obscuritas.

Hoc ipsa experientia docet. Qui autem vera disserendi facultate valent, quae significare volunt, facillime exprimunt. Quod aliter accidit illis, qui solida eloquentia sunt destituti.

§. 10.

Obscuritas a sententiis implicatis.

A Sententiis quoque, et mentis cogitationibus oritur obscuritas.

Ani-

Animadversione praecipue sunt digni, qui res claras, obscuris notionibus proferunt, sententiis indistinctis obruunt, imperviis cogitatis refarciunt.

Summa ergo verae elegantiae est claritas, ac perspicuitas.

§. 11.

De Suavitate.

TErtia bonae loquutionis virtus est *suavitas*, de qua eleganter disserait Jacobus Facciolatus: *Tametsi Latinae Linguae laudem neque totam, neque praecipuam in solaecismis vitandis collocari puto, quod est emendate loqui. Sed in cursu quodam et molli collusione verborum, ut nihil claudicet, nihil diffluat, nihil fluctuet. Sed tota permixta, ac temperata numeris aequabiliter, constanterque feratur oratio. Quod unum est, (si recte sentio) latine loqui.* In Orat. De Lingua Latina.

§. 12.

Regulae acquirendae Philologicae suavitatis.

HInc optime Gaspar Scioppius, quum de styli virtutibus, et vitiis pertractat *suavitatem* effici, inquit; 1. Cavendo vitia, quae pronuntiatu, et auditu molesta sunt, uti est asper consonantium concursus, praesertim stridor, qui inest literis *s. r. x.*

2. Concursus vo alium in fine praecedentium, et initio sequentium vocabulorum, necnon repetitio syllabarum verb.

verb. gr. *Via arduа*: *Nec gratus usquam*: *Fortunata nata*. *Juven.* Satyra X.

3. Continuatio Nominum, ex verborum longorum, et brevium, quae sensus conturbant,

4. Similium cadentium frequentia, vel similiter desinentium, vel usus continuus repetitionis ejusdem, praecipue in fine sententiarum; ut: *Omnia ea vitia avaritia habet*; quod permutatione vocum corrigi potest.

Ex quibus facile apparet, quod hac *suavitate* plures regulae, quas *elegantiarum* vocant, innitantur, quandoquidem voces ponendae, transferendae, permutandae sunt, ut sermo auribus existat suavis.

§. 13.

De Numero Oratorio.

AD hanc suavitatem numerus pertinet oratorius, de quo Cic. Lib. III. De Oratore.

Hic numerus species est suavitatis hujus, et quum in Orationibus versetur dicitur *Oratorius*.

Hinc dici potest, dari etiam numerum in Historiarum, et Epistolarum argumentis; qui dicitur simplex, et aurium nititur judicio.

Quamobrem primum perlegatis oportet Veterum monumenta clariori voce, itaut animum vestrum ad votum juncturam advertatis: Deinde ipsi ordinem vocum quem Auctor servavit, immutate: ut videatis quantum soni suavitatem aures percipiant.

§. 14.

§. 14.

De Styli dignitate.

STyli virtutibus additur *dignitas*, quae postulat, ut ad regulas sane prudentiae, et perfecti decoris comparemus omnia, quae scribenda, vel pronuntianda sunt.

Hinc omnia, quae Philosophi Christiani praecipiunt de integro decore, gravitate decenti, et perenni ornatu hic applicanda sunt; ut quam sedulo evitemus omnia vocabula obscoena, dicteria ambigua, phrases inhonestas, argutias histrionicas, sales amarulentos, noxias scurrilitates, quae Christifideles minime decent, quaeque Lex, ipsaque Natura vetant, ne pusillorum castas mentes ullimode a nobis laedi possint.

POETICARUM INSTITUTIONUM LIBRI TRES.

PROŒMIUM.

QUum nihil Humano Generi sermone praestantius divina ope collatum esse fateamur, aequum est, ut singulari illum studio complectamur. Tribus autem potissimum facultatibus, Grammatica, Poetica, et Rhetorica sermo instituitur, et excolitur: Illum enim quum necessitas humanae Societatis invexerit, utilitas in se, suisque tuendis ad Forum traxerit, et delectatio demum per theatra deduxerit, Grammatica emendat, ut Hominum societates foveat, Rhetorica exornat, et instruit, ut Judicum animos flectat: Poetica tandem in modulos dividit, ut audientium animos voluptate perfundat.

Et sane propterea tributam fuisse divinitus Poeticam, ait Plato, ut inter tot vitae molestias et aegritudines carminibus levaremur. Quamobrem cum suavitate alliciente sapientissimi deinde viri cogitationes suas versibus commendarint, ut in aliorum animos altius defigerent, et firmius inhaererent, operae pretium est, ut Poeticae rei sedulam operam navemus.

Praeterea sacrarum Rerum studiis, vel ad quae susci-

pien-

picuda vos, o candidati bonae spei Adolescentes, Ecclesiasticae disciplinae ratio excitat, necessariam esse Poeticam florentissimi homines opinantur. Merito igitur post Rhetoricam Artem vobis, pro meis viribus traditam, alteram muneris mei partem, DEO auspice, nunc breviter aggredior.

PROLEGOMENON

De Natura Poeseos.

§. 1.

A Verbo graeco *poieo*, quod latine sonat *formo*, *fingo*, *creo* Poesis, Poetarumque nomen descendere, nemo sanae mentis ibit inficias.

Quum autem Poesis sermonem minime incomptum, sed Rhetoricis coloribus instructum in modulos dividat, soluta oratio proculdubio Poesi antiquior censenda est. Itaque nugatur Strabo quum inquit prosam *pedestrem* idcirco *orationem* appellari, quod a sublimi carminis dictione ad humum deflexerit.

Ad Religionem vero (uti ait Suetonius) Poeseos origo defertur, divinoque principio illa consecratur, quum a colendis diis orta praedicetur. Quamquam canendi, modulandique rationem, vel ab ipsa Natura, vel ab avium garritu, frondium, et calamorum sibilis Homines didicisse videantur. Qua de re ait Lucretius Lib. I.

At liquidas avium voces imitarier ore
Ante fuit multo, quam levia carmina cantu

Concelebrare Homines possent, auresque juvare:
Et zephyri cava per calamorum sibila primum
Agrestes docuere cavas inflare cicutas:
Inde minutatim dulces didicere loquelas,
Tibia quas fundit digitis pulsata canentum.

§. 2.

POesos Poetaeque notione ad trutinam revocata, videndum a condendis ne versibus, a fabulis fingendis ii nuncupentur; et quidem Aristoteles a fabularum fictionibus vocatos esse opinatur: Idem sensisse videtur Plato, et Plutarchus, quum a Poetarum albo Empedoclem *De Rerum Natura* scribentem, expungunt, quod antea fecerat Aristoteles.

Ego vero sic arbitror, minime Poetas esse Versiculatores, et carmina solis pedibus instruentes: Nam ne se quidem in Sermonibus *Poetam* nuncupat Horatius, cujus egregium judicium est Lib. I. Sat. IV.

Primum ego me illorum dederim, quibus esse Poetas
Excerpam numero. Neque enim concludere versus
Dixeris esse satis: Neque si quis scribat uti nos
Sermoni propiora, putes hunc esse Poetam.
Ingenium cui sit, cui mens divinior, atque os
Magna sonaturum des nominis hujus honorem.

Itaque sublimis dictio, et a vulgari sermone abhorrens, debet cum metro conjungi, ut possit quis Poeta recte nuncupari. Hinc idem Lyricus initio Lib. III.: *Odi profanum vulgus, et arceo.*

Non est igitur ferendus Robortellus, qui non solum

lum Poetas a metro dictos inficiatur, verum etiam sine metro consistere posse Poesim autumat, dummodo non desit fictio fabularum. Quum enim a canendo Camoenae, et Carmina dicta sint, atque ideo culta Poesis sit, ut cantu res memoriae firmius inhaererent, qui fieri potest, ut sine cantu Poema dicatur? Itaque si Homeri Iliadem dissolvas, nullum amplius erit Poema, sublato nimirum metro, quod ad Poesos substantiam pertinet, sed prosa erit fabulosa.

Atque ut id altius firmetur praesertim adversus eos, qui metrum et fabulam simul in carmine desiderant, Poesim tantisper ab ipsis incunabulis repetamus. Eam enim sine imitatione aliquando et nunquam sine carmine fuisse deprehendemus. Et sane, primum ab Hymnis deorum ortam esse Poesim, inquit Suetonius: deinde longe antiquius est vera quam ficta canere. Itaque apud antiquissimos Romanos primi fuere versus Saliares, et Hymni in deos, postea vero illustres viros laudaverunt Poetae: Quamobrem a priscis Romanorum carminibus fabulae exularunt.

§. 3.

PRaeterea in veteri Comoedia primum vera argumenta data sunt, expressis etiam nominibus: deinde vero ficta successerunt. Accedit, quod apud Gentes etiam Historiae carminibus mandatae sint, ut de Germanis constat ex Tacito. Demum veritas non est existimanda adeo Poetis invisa, ut ab ipsis tradi nequeat;

quum moralis, et naturalis Philosophiae arcana patefacere consueverint: unde cecinit Maro:

. . . Cithara crinitus Iopas
Personat aurata, docuit quae maximus Atlas;
Hic canit errantem Lunam, Solisque labores.

Ex quibus quidem constat, Poesim non in fabularum fictione consistere, quum pateat a prima origine, solo metro a prosa recessisse: Quod etiam confirmat Tullius de Oratore his verbis: *Etiam Poetae quaestionem attulerunt, quod esset illud, quo ipsi differant ab Oratoribus: numero videbatur antea, et versu.*

§. 4.

VErum enimvero fateor, Poesim deinde ad ficta argumenta surrexisse: Quare postea longe illustriores Tullio Poetae dicti sunt, qui non solum carminibus, verum etiam fabulis hoc sibi nomen vindicarunt. Ita tamen ut etiam Poetae dici debeant, qui nihil fingunt, quales sunt plerumque Lyrici, Satyrici, et Elegiaci.

§. 5.

HInc autem facile Poeseos definitio depromitur: Est enim *ars condendi carmina stylo, et dictione sublimi*. Poema vero est *opus ipsum poetico artificio confectum*. At Poesis est *animi facultas, qua Poema secundum praecepta ipsius Poetices efficitur*. Quamvis autem pro Poemate usurpatur aliquando Poesis, nunquam tamen pro Poesi Poema accipitur, nec in eorum

abi-

abimus sententiam, qui Poesim a Poemate discernunt, quod illa sit totum, hoc vero pars.

§. 6.

QUum autem reliquae definitionis particulae liquidae sint, in prima tantisper immoremur.

Sunt enim, qui Partem Poeticam nullis concludi posse praeceptis arbitrantur, eo quod furore divino ad fundenda carmina excitari videantur Poetae: Quod Cicero pro Archia poeta his verbis expressit: *Atque sic a summis Hominibus, eruditissimisque accepimus, caeterarum rerum studia et doctrina, et praeceptis, et arte constare: Poetam natura ipsa valere, et mentis viribus excitari, et quasi divino quodam spiritu afflari.* Quae fere ex Platone ille retulit.

Ego autem fateor, ingenium maximum in Poeta requiri, naturam veluti excitatam, imo (si placet), furore correptam. Illud tamen inficior Poetam nullis praeceptis informari, nullaque arte instrui debere, quum ibi interdum artis defectu Poetas, licet naturae praestantes, deprehendamus, ut Euripides, quem in pluribus arguit Aristoteles, et ridet Aristophanes, et de Ennio scripsit Ovidius, quod fuit ingenio maximus, arte rudis. Contra vero quidam summam laudem artis beneficio promeruerunt, licet eorum natura non admodum excelluerit. Quod de Challimaco testatur Ovidius:

Battiades toto semper cantabitur orbe;
Quamvis ingenio non valet arte valet.

Quare Horatius artis simul et naturae amicam opem ad laudabile carmen exigit. Ait enim in Arte Poetica.

Natura fieret laudabile carmen, an arte,
Quaesitum est. Ego nec studium sine divite vena,
Nec rude quid prosit video ingenium: Alterius sic
Altera poscit opem res, et conjurat amice.

§. 7.

POstquam igitur quid sit Poetica Ars ostendimus, causas ejusdem aggredimur. Ac primo quidem de Materia videndum. Quod autem refutave imus eos, qui ficta dumtaxat Poetarum argumenta esse asserebant, dicimus cum Tullio Lib. I. de Oratore: *Poetam nullis terminis* circumscribere, aut definire jus suum, quominus ei liceat eadem illa facultate, et copia, qua licet Oratori vagari qua velit.

Itaque cum divinae laudes, hymni, et rithmi in argumentum Poeseos cadunt (uti mos Sanctae Romanae Ecclesiae testatur, et summa cum laude religiosissimi Scriptores Nazianzenus, Prudentius, Ambrosius, Paulinus, aliique praestiterunt): Tum res naturales, uti apud Aratum, et Manilium, tum praecepta vitae.

§. 8.

QUod attinet ad formam Poeseos, jam satis demonstravimus, eam minime positam esse in fictione fabu-

la-

larum, sed in metro, poetica eloquutione illustrato; nisi Poetam presse accipere velimus pro fabularum conditore, et nos passim in sequentibus usurpabimus.

§. 9.

FInis autem Poeseos minime adaequatus, est, morum correctio. Poesis enim res aliquando alienas a moribus tractat: Quod si Aristotelica Poesi rem accipiamus, finis erit fictis fabulis docere, quae ad purgationem conducunt vitae.

§. 10.

CÆterum adaequatus finis Poeseos late usurpatae, est, *docere*, et *delectare*. Quamobrem ait Horatius:

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci,
Lectorem delectando, pariterque monendo.

Malim tamen, si utrumque assequi non possum, docere sine delectatione, quam delectare sine utilitate: Praestat enim (ut inquit Cicero) diserta prudentia stultitiae loquaci; unde longe melius est Venusini effatum.

Fabula nullius veneris, morataque recte,
Quam versus inopes rerum, nugaeque canorae.

§ 11.

§. 11.

QUum autem Poeta alios doceat, bonus, et sapiens vel esse debet, vel esse videatur, quia non persuadebit qui bonus non est.

Hac autem occasione facultas nobis praebetur confutandi ea, quae adversus Poeseos usum a tetricis quibusdam ingeniis afferuntur. Primo enim gravissimum Platonis nomen opponunt, qui Poesim tamquam civibus perniciosam de sua Republica eliminaverit. Deinde Epicurum objiciunt, qui puerilem a Poetis delectationem afferri dictitabat. Praeterea deorum rixas, pugnas, vulnera, et reliqua indignissima non sine Religionis, et morum detrimento legi posse apud Poetas: Nihil enim ad gravem honorem pertinere inanes vetularum fabellas.

§. 12.

VErum quod attinet ad Platonem, aliqui asserunt, non omnem, sed Homericam tantum Poesim a sua Republica exulare jussisse. Alii non tamquam noxiam, sed tamquam minime ab omnibus tractandam Poesim, deturbasse.

Et sane divinus Vir passim utitur auctoritate Poetarum, eosque summis ubique laudibus prosequitur, ac Poetas deorum, heroumque laudes concinentes admittit.

Deinde temere dicitur, *delectatio puerilis*, quae nobilissima delectavit ingenia. Quae autem de amore, pugnisque deorum objectantur, non Poeseos vitia sunt;

ne-

neque vero vitio dari debet Disciplinae, quod a nefariis hominibus in pravos usus adhibetur.

§. 13.

PRaeterea multa, quae per Poetas de falsis diis dicta sunt, illa per allegoriam sunt accipienda: Idque altius repetendum est, ut quod de fabularum levitate objicitur, resolvamus.

Jam olim apud sapientes invaluit usus, ut arcana sapientiae mysteria aliquo involucro obtegerentur; ne illa apud rudes vulgata vilescerent, sed apud solos sapientiae cultores custodirentur. Itaque Ægyptii plurima symbolis tradiderunt; et ipse Aristoteles illam Philosophiae partem, quam minime vulgari volebat, symbolis involvit.

Quod igitur illi symbolis, et obscuritate sermonis memoriae prodiderunt, Poetae fictis fabulis obtexerunt. Stulta igitur diis indigna, et incredibilia per allegoriam intelligi voluerunt. Non ergo hoc nomine deprehendendi, sed summis potius laudibus celebrandi Poetae, quia sapientum vestigiis insistentes, suis fabulis sapientiam ad nos attulerunt.

§. 14.

ACcedit, quod fabularum fictio optimo jure a Poetis adhibeatur. Etenim hi non tam quod gestum sit, quam quod geri debuerit, dicendum sibi proponunt. Non enim circa singularia, sed circa universalia (ut

in-

luquit Aristoteles) versantur. Quod magis est Philosophorum. Itaque non quod Æneas gesserit, sed quod gerere dux debuerit, Virgilius exponit. Quamobrem Poesis utilior Historia quandoque videri poterit. Non enim tuto imiteris quodcunque narrat Historia in magnis viris; nam vitia virtutibus admixta saepe narrat Historia. Secus vero Poeta, qui nihil in duce, nisi duce dignum tradit.

§. 15.

DEnique id praestant Fabulae, ut veritas hominibus ad illam cernendam obtusioribus veluti sensibus deprehensa tradatur, in quo summa quidem humanae vitae posita est admonitio, et hac de causa a Socrate ipso (ut aliqui ferunt) plura conficta sunt, ut ab iis lem initia studiorum suorum subducenda monuit Quintilianus. Nam ut cecinit Flaccus:

Os tenerum pueri, balbumque Poeta figurat,

§. 16.

NEque ipsis dumtaxat Poetis parta immortalitas est, sed iis etiam quorum gesta cecinere. Quamobrem Homerum Achilli invidit Alexander, uti videre est apud Ciceronem in Oratione pro Archia Poeta.

§. 17.

AD efficientem Poeseos causam transeo. Primo Aristoteles duas assignavit, quum Poesim pro fingendi facul-

cultate usurparit, ingenii facilitate, poeticoque furore. Illius verba haec sunt: Id circo autem ingenio si est Poetica, aut furiosi. Nam horum illi quidem ad fingendum, idonei vero sunt hi, qui facile extra se rapiuntur.

Horum autem utrumque ex imitandi studio proficiscitur, cujus ab ipsa Natura originem idem Aristoteles agnoscit, quum pueros, et sibi pupulos confingere, et aliorum voces ultro imitari videamus. Ab ingeniorum autem diversitate factum existimo, ut alii in obtrectationibus, alii in laudibus, alii in turpibus, alii in honestis eminerent.

§. 18.

Quod autem attinet ad furorem, quem nuncupant *enthusiasmum*, sive amentis excitationem, ut frustra sine illo Musarum fores pulsari autumaverit Plato, multa splendide more suo mentiti sunt Poetae; cujusmodi sunt, quae de haustu fontis Caballini, de somno in Helicone, et similibus cecinerunt.

§. 19.

Inter efficientes Poeseos causas commemoranda videtur imitatio eorum, qui nobis ad Poesim facem aliquam praetulerunt.

Est autem imitatio alia puerilis, quae ita vestigiis alicujus insistit, ut ne digitum quidem ab eodem decedere audeat. Alia autem ingenuo, et sapienti honore di-

digna, quae ita aliquem sibi proponit imitandum, ut aemuletur, et vincere contendat, quaedam commutet, quaedam emendet, alia supprimat, alia superaddat.

§. 20.

QUod autem ad imitandi rationem spectat, primo animadvertendum, ut optimi tantum cujusquam vestigiis haereamus; Deinde, ut ea sequamur, quae nostro ingenio novcrimus admodum convenire; Denique laborare debemus aliis similes esse uti filios, non autem uti imagines, (inquit Seneca).

De Poeseos Inventore non est una omnium mens. Alii enim Orpheum arbitrantur: Alii Mercurium: Alii Osiridem Ægyptium, quem Apollinem Graeci solent appellare: alii Pierium Macedonem, qui quod ipse Poema confecisset, et filias suas numero loqui docuisset Pater Musarum, et Magister creditus est, ex quo Pierides dictae sunt Musae. Alii Hebraeos poeseos auctores tradunt, in quorum sententiam lubenti animo potissimum descendo. Nam Geneseos Cap. IV. Jubal Adae trinepos artem cythara, tibiaque canendi dicitur reperisse. Favet etiam huic opinioni Canticum Moysis, et Mariae, in quo etsi nunc metrum non observetur, (quod tamen observari affirmat Hieronymus) certe inest rithmus. Igitur apud orientales Populos orta Poesis, ad Graecos pervenit, quorum opera sedulo exculta est, et ad Romanos transmissa: Et haec satis de natura Poeseos.

LI-

LIBER PRIMUS

De Verbis, et Rebus Poeticis.

ANTELOQUIUM.

QUoniam universa dicendi disciplina rebus, et verbis continetur, eaque universae Poesi, cunctisque Poematum generibus communia sunt, antequam ad singula veniamus, operae pretium me facturum duco, si quae universalia sunt, expediam.

Res autem a Poeta tractandae, omnem desiderant eruditionem; tum enim ab Historiis, et Fabulis, tum a disciplinis omnibus ea, quae poetico illustrantur stylo eruenda sunt. Et sane nequit mens metrum concipere, vel edere, nisi ingenti flumine literarum inundata: Quare vires suas unusquisque metiri caute debet, et accurate perpendere quid valeant humeri. Maximum autem Poetarum opus est fictio, et imitatio per fictionem. Propterea primo de fabula agendum.

CAPUT I.

De Fabula.

§. 1.

QUid discriminis inter fictionem, et imitationem intercedat, patet considerantibus. Quamobrem falsa quidem fingimus, sed vera imitamur; sic Pictura hominem pingit, verum hominem imitatur. Et sane non multum a Poesi abest similitudo picturae juxta Horatium, quum utraque imitandi munus profiteatur. Unde ait scribens quidem ad Augustum.

Nec magis expressi vultus per ahenea signa,
Quam per vatis opus mores, animique virorum
Clarorum apparent . . . .

§. 2.

FAbula vero est sermo falsus seu fictus, veritatem imitans; ex qua definitione satis elucet, ea fingenda esse, quae a veritate abhorrent. Quod autem fuerit Poetarum studium in fabulis effingendis, jam fuse supra demonstravimus: Neque mendaces Poetae debent nuncupari quum falsa fingant, et praedicent; uti enim inquit N. S. P. Augustinus; *Fictio, quae ad veritatem refertur, figura est, quae autem non refertur, mendacium est.* Diximus enim, Poetas, fabularum involucris veritatem obtegere.

§. 3.

§. 3.

DEinde quum fictio poetica sit veritatis imitatio, verum simulare debet, atque ab eo non longe discedere: Unde Flaccus in Arte Poetica:

Ficta voluptatis causa sint proxima veris,
Nec quodcunque volet, poscat sibi fabula credi.

§. 4.

EST autem verisimilis fabula, quae narrat ea, quae contingere solent, et ea, quae licet evenire nequeant, vulgata tamen hominum opinione evenire posse censentur.

§. 5.

VErisimilitudo autem poetica respicit veritatem universalem potius, quam particularem. Quamobrem licet Poeta plura tradat de Ænea, quae ab ipso gesta non fuerunt, quoniam ea omnia heroi, clarissimoque duci conveniunt, non discedit a veritate.

§. 6.

DIviditur autem fictio in *simplicem*, et *fabulosam*. Simplex est ea, quae a vitae consuetudine sumpta est, uti sunt fere omnia argumenta comoediarum. Fabulosa vero, prout fabula Poemati materiam praebet, ea est, quae fidem exsuperat, ut Prometheum flammas surripuisse.

§. 7.

ALiter eamdem divisionem proponere possem, scilicet, ut Poeta narret aut rem, quae vere gesta est, eamque uti potuit, aut debuit geri exponat, omniaque ita adjunctis apposite investiget, ut fere accidisse videatur; atque haec fabula vocatur historica: aut rem omnino a se confictam, neque veri quidquam continentem; quae fabula vocatur, imago, figmentum, et simulacrum.

§. 8.

HUjus posterioris fabulae species duae sunt. Una dicitur *propria*: *metaphorica* altera.

Propria est fictio, et imago rei, quae quamvis nunquam fuerit, esse tamen potuit, qualis est fictio de equo Trojano milites utero in urbem inferente.

Metaphorica est, quae licet evenire nullo modo potest, per allegoriam exhibet veritatem. Talis est fictio de adamantino Parcarum fuso, quo inevitabilis (secundum Poetas) divinae Providentiae vis aperitur.

§. 9.

FAbulae vero excogitandi ratio ita ut historicam veritatem comprehendere videatur, potissimum ab eventuum cognitione pendet; quando scilicet noverit Poeta propria cuique et convenientia tribuere. Proposita igitur delectaque materia sedulo considerandum, quid ferre possit verisimiliter, aut soleat, aut debeat actio, quam

quam Poematis nostri materiam constituimus.

Profectio exempli gratia cujusdam ad remotas regiones porticis figmentis describenda sit. Cogitandum igitur de navibus exornandis, de commeatu, de sociis, de discessu ab amicis, cognatique, de caeteris denique rebus, quae ante navigationem solent comparari: deinde discrimina navigationis, sydera adversa, infaustos ventos, obortas tempestates, hostes, praedonesque insectantes, etc.

Denique in appulsu fida seu infida hospitia, initas societates, aliaque; uti apprime elucet apud Virgilium in discessu Æneae a Trojanis regionibus in Italiam.

CAPUT II.

De Fabulae dotibus.

§. 1.

PRima fabulae dos est, *unitas* non quidem *temporis*, aut *personae*, sed *actionis*. In hoc autem sita est, quod partes omnes, quamvis inter se diversae, in unum finem conspirent. Itaque una est fabula historica de adventu Æneae Trojani in Italiam, quae quamvis diversissimas res comprehendat, omnes tamen ad eumdem finem spectant, et verisimiliter cum principali actione connectuntur.

§. 2.

ALtera dos fabulae est, *admirabilitas*, quae non uno de fonte petenda est. Primum enim admirabilis fabula efficitur, exprimendo id, quod in unoquoque genere summum est; qualis est apud Poetam contemptor deorum Mezentius, et Turnus, cui nihil inaccessum videbatur. Praeterea narratione eventuum inopinatorum, ut quum ex odio amicitias, ex rixis nuptias ortas dicimus. Exhibitione portentorum plerumque inauditorum, uti sunt inopinatae metamorphoses, etc.

§. 3.

TErtia dos fabulae est verisimilitudo; utque eam cum admirabilitate conciliemus, quoad facilius fieri posse videtur, duplex veritas adnotanda est. Alia necessaria; et haec pertinet ad Oratores: Alia raro contingens; et haec ad Poetas.

§. 4.

SEcundo si partes verae sint, quarum compositio evidenter non repugnat. Et quum vere fuerint Gigantes, eos monoculos fingere non repugnat.

Tertio si veris affinia sint, quae figurantur; ut quum diis humani affectus, et verba tribuuntur.

Quarto, si ficta per allegoriam ad veritatem referantur: ut Endymionis somnus; qui quum syderum observationi ita vacasset, ut caeterarum rerum curam ne-

gle-

glexisset, creditus est perpetuo dormiisse.

Ad famam, et rerum fictarum aptitudinem respexit Horatius dicens:

Aut famam sequere; aut sibi convenientia finge.

§. 5.

QUarta dos fabulae est *implexio*, quae in eo sita est, ut casus casibus implicentur; et non unius rei, factive sit fictio, sed plurimarum simul, et diversarum immixta species animis objiciatur. Hoc enim potissimum delectu mirabilium rerum complicatio admiratioque menti proponitur. Talis est descensus Æneae ad inferos, aditus ad patrem, Phoebei templi descriptio, sacrorum operatio, sublimis antri structura, ec.

§. 6.

QUinta dos fabulae est ornatus episodiorum. Sunt, autem episodia excurrentes extra ordinem fabulae, narrationes ad fabulae utilitatem pertinentes. Ornatus ergo fabulae est episodium; sed pars minime necessaria, qua sublata, non deperiret fabulae integritas. Talis est apud Maronem narratio Trojani excidii, et errorum Æneae; sine qua adhuc adventus Æneae in Italiam totus, et integer (licet sine ulla venustate) consistit.

§. 7.

Differt autem episodium a digressione; quod haec videtur consistere in descriptionibus, ut quum portus, urbes, hortos, templa, palatia describimus: Episodium vero in actionibus, ut quum res gestas narramus.

§. 8.

Reprehenditur autem Poeta si episodia omnino aliena, et longius petita arcessat, quae nullam cum fabula habeant cognationem. Connectuntur autem episodia cum fabula, vel necessitate, vel verisimilitudine, ut Regem ejectum Libyco littore a Regina excipi, alibique bellum celeberrimum gerere, etc.

§. 9.

Connexio ab exordio Poematis incipit, atque usque eo extenditur, donec mutatio incipiat in rebus, deque felicitate ad infelicitatem veniatur. Solutio ab initio mutationis ad finem usque trahatur. Ea autem transitione ita inter se copulantur, ut tria propterea in tota fabula consideranda sint: *Connexio scilicet, transitus, et solutio*. Ex his autem connexio admittit episodia; solutio vero secus; in qua properatur ad finem.

§. 10.

QUemadmodum in connexione summum Poetae judicium requiritur, ut actionem episodiis apprime ornet, ita etiam in solutione desideratur.

§. 11.

TRes autem per Aristotelem solvendae fabulae modi constituuntur, scilicet *Peripetia*, *Anagnorisis*, et *Mechane*.

Peripetia est subitanea rerum mutatio; ex qua vel felicitas calamitatem, vel felicitatem calamitas consequitur. Ea nihil jucundius esse potest, quia, ut inquit Aristoteles: *Omnis rerum mutatio jucunda est.* Verum non omnis rerum mutatio *peripetia* dicenda est; sed ea tantum, quae illustrium personarum casus continet: nec quoscumque casus, sed admirabiles, et inopinatos. Itaque Virgilius Turni casum admirabilem, et inexspectatum reddidit: animum Æneae inclinantem prius ad misericordiam finxit, deinde ex improviso Pallantis balthei aspectu in justam prorumpentem iram, poenasque de amici morte hostis caede sumentem.

§. 12.

ANagnorisis, est unius vel plurium personarum post longi temporis ignorantiam cognitio; quae est *simplex*, quum una persona alteram cognoscit, a qua antea fuerat cognita, ut in sacris Litteris, quum Joseph

phus a fratribus cognoscitur, quos antea ipse cognoverat; *duplex* est, cum duae ad invicem personae cognoscuntur.

§. 13.

VOssius autem, et Aristoteles sex modos anagnorisis admittunt.

Primus est per signa, quae vel innata sunt, vel adventitia. *Innatum* signum est, quod cum homine nascitur; ut si alicujus familiae posteri cum aliquo communi signo nascantur; ut de Seleucidis posteris testatur Justinus; quod filii, nepotesque anchoram, veluti notam generis naturalem habuerunt.

Adventitia signa sunt duplicis generis. Aut enim sunt in corpore, uti cicatrices; maculae, aliaque signa in nativitate impressa: aut extra corpns, ut gemmae, annuli, monilia, et similia.

Alter modus est per ea signa, quae à Poëtis fingun-tur, ut epistolae.

Tertius modus est per memoriam, quum aliquid audimus, vel videmus, quod nos in memoriam, cognitionemque adducat.

Quartus modus est per ratiocinationem, quum quis ratione ducta, vel à moribus, vel à structura, vel ab alicujus rei similitudine cognoscitur.

Quintus modus est per paralogismnm, per falsam videlicet ratiocinationem, vel per mendacium creditum verum, aut per ea, quae cognitioni repugnant.

Sextus modus demum est cum ex ipsa actione cognitio oritur; ut, si quis narrando casus, erroresque

tuos,

tuos, sivè aliud quodcunque factum, vel suum vel parentum, majorumque tuorum alios in tui cognitionem adducat.

§. 14.

MEchane est, quùm fabula deorum ope, interventuque, vel supernaturali aliquo, vel magico artificio solvitur. Quod aliquando vitio datur Poëtis; quippe indecorum est telam texere, atque nodum plicare, quem solvere minimè possis. Verum si quò res ita deducta sit, ut solvi humana ope non possit, eorum interventum fingere, ut ad exitum deducatur permittitur. Vel sit quoddam *adynaton*, quod vel magica arte, vel divina ope indigere videatur; quod affirmat Petronius, reclamante Aristotele.

§. 15.

QUaeri denique solet, fas ne sit christiano Poëtae ad facrorum numinum interventum confingere.

Erit sanè in iis deorum figmentis, quae allegoricam contineant veritatem. Hinc ideo minimè prohibitum esse Poëtis pro sapientia deam Palladem, pro fortuna belli usurpare Martem: In caeteris verò sacro praesertim argumento, coelestium, aut infernorum interventu spirituum, poëticae fictiones absolvendae sunt: ex. gr., ad impediendam Apostolicorum Virorum expeditionem ad Indos, malus ab inferis Genius excitabitur, qui tempestates moveat: E contrario favor coelestium Numinum illis opitulabitur, etc.

CA-

CAPUT III.

De Fabulae moribus.

§. 1.

DUo praecipue in fabula adnotanda sunt; *mores* scilicet, et *sententia*. De *sententia* in sequenti capite videbimus: De *moribus* hic est agendum.

Mores igitur, teste Aristotele, sunt per quos dicimus, quales sint agentes, unde moralem dicimus actionem, qua animarum habitum, et earum, quas in argumento adduximus, personarum, ostendimus. Sunt autem in moribus servanda probitas, convenientia, similitudo, et aequabilitas.

§. 2.

Probitas in moribus exprimendis necessaria est, ut virtutis, et honestatis exempla Poëtae exhibeant, ad aliorum documentum: Quod si contingit, improborum etiam mores effingere, non propterea Poëta ab ejusmodi expressione arcendus erit. Quandoquidem ut bona bene exhibita alliciunt animos, inflammantque ad virtutes; ita mala spectantibus horrorem pariunt, si poenae exaggerentur, quibus improbi afflicti sint; ut mala ex admisso scelere, sive in ipsum auctorem, sive in ejus familiam totam, sive in universum populum redundantia.

§. 3.

§. 3.

Convenientia morum respicit sexum, aetatem, et conditionem personarum; sic prudentiam senibus, viris robur, adolescentibus audaciam, ducibus magnanimitatem, et consilium, mulieribus imbellicitatem tribuimus. Sed non abest ab admiratione, si mulieribus aliquando majorem virtutem tribuamus, quod pulcherrime in Camilla assequutus est Maro, et in Clorinda Torquatus Tassus. Verum cavendum, ne quid summum in unoquoque genere demus; piaculum enim esset, si quis foeminis Achillis fortitudinem, senibus Herculis robur, adolescentibus Nestoris prudentiam assignaret.

§. 4.

Similitudo postulat, ut personis tribuamus ea, quae vulgata fama eisdem tribuit; ut iram Achilli, vafritatem Ulyssi, Ajaci fortitudinem. Quamobrem jubet Horatius in moribus exprimendis,

Aut famam sequere; aut sibi convenientia finge.

§. 5.

Aequabilitas exigit, ut persona sibi constet, qualis ab incoepto processerit. Quarè Aristoteles reprehendit Euripidem, quod Iphigenia primum patrem orat, ne de medio tollatur; mox alacri animo morti occumbit; qua in re maxima cernitur morum inconstantia. At in muliebri sexù, et infirma aetate morum inconstantia

a ve-

a verisimili non discedit. Nam inquit Poëta:
Varium, et mutabile semper faemina.

§ 6.

DEcebit tamen in mutatione fortunae mutatos mores describere. Et sanè verisimile est, ut qui in humili fortuna submissus erat, ad meliorem evectus, paullulum intumescat.

CAPUT IV.

De Sententia.

§. 1.

QUum adhuc in animis continetur sententia, animi facultas est, quâ vera à falsis secernimus; quum verò oratione profertur, facultas est, quâ sensus animorum aperimus: Quare Aristoteles sententiam definiens ait: *Sententiam voco mentem, et ejus conceptus, in quibus res aperiuntur. Eloquutionem autem dico, ipsam dictionem; per hanc enim eloquimur animi conceptus.*

§. 2.

SUmendae sunt igitur sententiae ab ipsa re, quae argumentum sermonis est.

Dicitur autem, Poeta servare poeticam sententiam, quum unicuique personae suis moribus affectae convenientem tribuit sermonem.

§. 3.

§. 3.

QUatenus sententia pro gravi quodam pronuntiatu usurpatur, animadvertendum erit gravissimis in affectibus non illam quidem omnino respui, sed nimiam frequentiam, et acumina damnari. Itaque hoc nomine reprehenditur Euripides, et qui Euripidem sententiarum congerie conatus est superare, Seneca, qui alibi passim, praesertim initiô Troadis, adeo exquisitas sententias contulit, ut ab Hecubae affectibus longè discedere videatur.

§. 4.

SEntentiarum itaque acumini raro locus dandus est; nam affectum dicentis enervat, quô vitiô praecpiuè Seneca, et Lucanus notantur ubique, unde Declamatores inter Poëtas appellari meruerunt.

CAPUT V.

De Ordine fabulosae Inventionis.

§. 1.

QUoniam, ùt inquit Aristoteles, ex magnitudine, et ordine existit venustas, postquam de fabulae inventione verba fecimus, res postulat, ut ordinem aggrediamur, quô debeant singula excogitata collocari.

§. 2.

§. 2.

ORdo autem poeticus ab historico differt in eo, quod sit certus et connexus. Historicus verò distinctus, et fortuitus. In Historia plures continentur actiones secundum variam temporis seriem, licèt nullam inter se habeant affinitatem. *Ex. gr.*: Alexandrina nativitas, et Ephesini templi incendium. At in Poësi quaevis actio ab alia pendet, et cum alia connectitur, cum qua ad unicum finem conspirat. Non igitur temporum connexionem, et seriem, quae ad Historicos pertinet, sed rerum affinitatem et nexum Poëta sectatur.

§. 3.

TOtum autem ordinis artificium in eo situm est, undenam potissimum exordiendum sit, ubi episodia interponenda, ubi denique desinendum.

§. 4.

QUod spectat ad initium, non laudatur Poëta à principiis incipiens, quia historicum potius condere poema videbitur. Historicis enim solemne est, rem ab ipsis incunabilis repetere.

§. 5.

ACcedit quod, exordium Poematis ad illustri aliquo facto ducendum sit; rerum autem initia parva ut plurimum, et obscura sunt.

Ita-

Itaque à mediis, aut postremis incipiendum est: Deinde in progressù opportunè ad initium regrediendum; quare inquit Horatius:

Ordinis haec virtus erit, et venus, (aut ego fallor.)
Ut jam nùnc dicat, jam nùnc debentia dici,
Pleraque differat, et praesens in tempus omittat.

§. 6.

HOc autem Virgiliano exemplo comprobatur. Poëta Æneam de Sicilia producit, cujus navigationem describendo protrahit ad Libyam: Illic in convivio Didonis narrat ipse Æneas ad Siciliam usque de Troja navigationem suam, et addit uno versu, quod copiosè Poeta descripserat:

Hinc me digressum vestris Deus appulit oris.

Postea ab Africa Poeta ex persona sui iter classis ad ipsam perducit Italiam:

Interea medium Æneas jam classe tenebat
Certus iter etc.

§. 7.

ITaque si historicum ordinem in Marone requiramus, secundus Liber primo loco, tertius vero secundo, et primus tertio loco ponendus erit.

Finis etiam Poëmatis illustris esse debet sicut initium. Igitur ulteriùs progrediendum non erit quum nodus omnis fuerit resolutus. Quamobrem quum actio jam absoluta fuerit, episodia ultra ne producantur. Ita

ab-

absolvit Æneidem Virgilius Turni morte, quo absumpto Lavinia, et Italiae regno potitus est Æneas.

CAPUT VI.

De Dictione Poetica.

§. 1.

QUoniam ut ait Flaccus;

Non satis est pulchris versum componere verbis,
Quem si dissolvas, quivis stomachetur eodem; etc.

Necesse est, ut Poëta iis res dicendas exornet verbis, quibus etsi metro soluto poetica tamen dictio cognosci possit.

§. 2.

EST autem dictio generatim sumpta *explicatio mentis per verba*, sed adeo poetica dictio grandior, et sublimior est, ut Ciceroni aliâ linguâ loqui Poëtae visi sint. Et Aristoteles affirmat, levissima quaeque, poeticâ grandiloquentiâ prolata, altius excelluisse.

§. 3.

UT autem hanc loquendi magnitudinem hujusce artis Professores assequerentur, animi sui sensum non per nuda verba (ut vulgus solet) sed per aenygmata, et circumlocutiones aperire consueverunt; hinc Propheta

Da-

David Psalmo 56. pro eo, ut sé cantaturum diceret, ait: *Inclinabo in parabolam aurem meam; Aperiam in Psalterio propositionem meam.* Ubi Septuaginta Interpretes pro propositione habent aenygma.

§. 4.

SEd hanc poeticam grandiloquentiam tribus modis comparabimus. Primò, quum res non directè per se, sed verbis exprimemus ornatioribus. Hujus generis passim apud Auctores extant exempla. Sic elegantissimum est illud Virgilii de Didone.

.... *Longumque bibebat amorem.*

Quod quidem non licet Oratoribus.

Se undò; frequens est apud Poëtas adjectivorum usus: Et haec sanè ex omnibus adjunctis, quae in oratoriis Institutionibus explicavimus, deduci possunt.

Formantur autem adjectiva, vel à causa materiali; ut:

En meus in fragili sumitur orbe labor!

Vel à formali, ut: *Pulcher Iulius: Formosa Amaryllis.*

Vel à loco; vel ab incolentium moribus; ut Virgilius:

Heu! Fuge crudeles terras: Fuge litus avarum!

Sic legimus *sontes Thebas*, ob culpam Etheoclis. Vel ab instrumento, ut *cinctutos Cethegos* dixit Horatius à cinctu gabino.

Vel à modo, ut: *Nate, quis indomitus tantas dolor excitat iras?*

Vel à tempore : *Nec minus Æneas se matutinus agebat*.

Vel à similitudine : Ut *fulmineum telum*, et similia.

Tertiò, illud maximè curet Poëta, ut praecipuas rerum qualitates p r effecta undiquè adjectiva exprimat; qua in re supra omnes eminet Horatius. Pulcherrimum quoque est illud Virgilii de occulto Didonis amore.

- - - - - *Caeco carpitur igni*.

Et illud Ovidii de Narcisso, se ipsum in aquis contemplando depereunte.

Spectat inexpleto mendacem lumine formam.

§. 5.

HActenus hic de phrasibus, et poeticis figuris. Illae enim studiô magis, et usu comparantur, quam praeceptis. Licet de Figuris egerimus in oratoriis Institutionibus, et de phrasibus in Libelli hujus titulo.

§. 6.

CUret denique Poëta nunquam eamdem rem eisdem characteribus exprimere, sed variis semper coloribus, variisque conceptibus exprimere consuescat; qua de re Vossius monet, in Poëtarum dictione id prae caeteris animadvertendum. Lubet in hujusce rei exemplum, aliquos Virgilii locos adducere, Mortem variè describentis. Nam in VI. Æneidos ait : *vers.* 420. *et* 730.

Quin

Quin et supremo cum lumine vita reliquit,
Abstulit atra dies, et funere mersit acerbo.

In IX.

Purpuream vomit ille animam.

In X.

Una, eademque via sanguisque, animusque sequuntur.
Calcibus atram tundit humum exspirans;
Olli dura quies oculos, et ferreus urget
Somnus; in aeternam clauduntur lumina noctem.

In XII.

Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.

Atque haec satis de primo Poëseos Libro.

LIBER II.

De Poesi Dramatica.

PRÆFATIO.

§. 1.

QUae ad genus ipsum Poëseos pertinent, tradita abundè superiori Libro videntur : Ipsas modo hujus generis partes perbreviter aggredimur. Itaque Aristoteles, qui Poësim pressè (ut suprà diximus) accepit, omnes Poëseos artes, tribus potissimum differre autumat ; re, quam imitamur, et modo, quo imitamur. Ad rem, quam imitamur, pertinent homines, qui nobis, vel praestantiores, vel similes, vel deteriores sunt. Similes complectitur Epopaeja ; praestantiores Tragoedia ; deteriores Comoedia.

§. 2.

AD rem, quam imitamur, sive ad imitationis instrumentum pertinent sermo, harmonia, et rithmus.

Sermo, est vocum ex instituto hominum significantium ad aliquid exprimendum apta compositio.

Harmonia, est temporum, et modulorum concentus, atque oritur tum ex accentibus, tum ex quantitate syllabarum.

§. 3.

§. 3.

RHitmus, est temporum proportionata divisio ; ex quo apparet magis latè patere rhitmum , quam metrum : quippè (ut ait Aristoteles) hoc illius pars est.

§. 4.

AD modum denique imitandi refertur, Narratio , Actio , et Mixtio utriusque.

Cum autem species Poëmatis sit, in qua solae personae agunt, et in qua Poëta ipse loquitur sine personarum interlocutione , et in qua Poëtae simul , et personae loquuntur ; suprema Poëmatum divisio erit , in dramaticum, exagematicum, et mixtum,

CAPUT I.

Quid sit Drama.

§. 1.

DRamaticum Poëma per excellentiam dictum est imitativum ; propterea primô locô expediendum ejus etymon, à *drama*, quod latinè idem est ac *agere*, descendit : unde benè definitur *Poëma imitans agendo*. Quare apud Latinos etiam Fabula agi dicitur , et Comoedi *Actores* appellantur.

§. 2.

ORigo autem Dramatis Baccho defertur; unde ca-cinit Horatius:

Bacchum in remotis carmina rupibus
Vidi docentem, credite posteri;
Nymphasque discentes, et aures
Capripedum satyrorum acutas.

§. 3.

QUa de re uni olim Baccho omnes ludi scenici sacri erant. Quum autem ex occasione Drama traditur; quod post receptas fruges, et post vindemiam, tum in deorum laudem, tum relaxandi gratia animos, carmina in honorem deorum Rustici canebant inter se ad risum ciendum, et scommata agitabant; mox illustrium virorum facta celebrasse traditur; quod Tragoediae initium fuit: (nam ex iis, quae rusticam illam licentiam, et alterna jurgia continebant, exorta est Comoedia) sed quod nunc superbo theatrorum apparatu celebratur, initio sub utres gestum fuit; supra quos saliebant Rustici altero pede lato, quod saltationis genus *excoliasmon* appellabant; qui autem cadebant, (nam utres oleo ungebantur, ut lubrici essent) cachinnis, et sibilis excipiebantur. Quod festum apud antiquissimos mortalium celeberrimum fuit.

§. 5.

§. 4.

MAgnitudo verò Dramatis, quae à Populo spectatore sumitur, brevior esse non debet tribus horis, nec longior sex: Nimia enim brevitate Populus expectatione fraudaretur, qui negotiis omissis eò oblectationis causa convenerat: Nimia verò longitudine fatigaretur, vel (ut cum Plauto loquar) lumbi sedendo, et oculi spectando dolerent.

§. 5.

MAgnitudo autem (ut ait Aristoteles) intra unius diei spatium consistere debet, aut paullò amplius: Nam à verisimilitudine dilaberemur, si rem coram populo geri fingeremus, quae spatium expostularet, quo credibile non est posse populum detineri.

§. 6.

IN assignandis vero Dramatis partibus Aristotelis vestigiis inhaereo, qui bifariam eas accipit; scilicet vel ratione qualitatis, sive substantiae; vel quantitatis, sive modi.

§. 7.

PArtes qualitatis sunt quatuor: Fabula, Mores, Sententia, et Dictio; et hae partes à Poëta suscipiendae sunt. Accedit etiam Modulatio, et Apparatus, quae non ad Poëtam, sed ad tibicines, et choragos spectant.

§. 8.

PArtes autem Quantitatis sunt : Diverbium , et Choricum . Diverbium est cum diversae personae verba faciunt ; et dividitur in Actus , et Scenas . Actus quinarium numerum neque excedere, neque minuere possunt ; unde Horatius :

Nevè minor , nec sit quinto productior Actu ,
Fabula , quae posci vult , et spectata reponi .

Sed plerique censent, tribus Actibus Fabulam constare posse . Juxta nos primus Actus exponat argumentum; Secundus deducat rem in Actum , et veluti tricas nectat: Tertius turbas ciet : Quartus viam ad solutionem ostendat : Quintus expediat , et aperiat omnia .

§. 9.

DEniquè Actus apud Veteres septimâ scenâ constare debebat . In graeco tamen Dramate tres solum personae semper agunt ; quamobrem inquit Horatius ;

Nec quarta loqui persona laboret .

§. 10.

DE Chorico , quod cantilenas , et saltationes respicit , nihil ad nos .

Unum addam ad dictionem Dramaticam spectans ; Eam nimirum alligatam metro esse debere ; nam metrum ad Poëseos substantiam pertinere jam suprà demonstravimus .

§. 11.

§. 11.

SUnt autem risu excipiendi ii , qui propterea soluta oratione conficiendum esse Drama asserunt ; quod à verisimilitudine discedatur , si mulieres , servos , aliosque id genus extemporalia carmina componere dixerimus . Id enim ipsi Poëtarum Principi , caeterisque primae notae Auctoribus objicere possemus , cum hi orationes ex tempore instructas , carmine tamen alligatas , effingant .

Et sanè distinguendum est illud , quod imitatur Poëta , ab eo quo imitatur .

Id quidem quod imitatur à verisimilitudine minime debet discedere ; ut actio , et mores ; non autem id quo imitatur : quod non tam est personarum , quam poetae .

Et quidem Virgilius minime credendum proponit , Æneam , Turnum , necnon et Pastores in Eclogis metro sermonem instituisse .

§. 12.

ATque hoc quidem distinguendum in caeteris artibus , quibus imitamur : Quum enim Artifex fato cedentem Cleopatram aspidum morsibus in argento effingit , verisimile proponit ; quamvis faemina moribunda argentea esse nequeat , tamen argumentum est id , quo Artifex moribundam Cleopatram exprimit , non id quod exprimit in moribunda Cleopatra .

CA-

CAPUT II.

De Tragoedia.

§. 1

TRagoedia originem trahit à temulentia vindemiarum tempore, ut docet Atheneus: Vel à *trigos*, *mustum seu vinum novum*, quia (ut inquit Diomedes) vinum Cantoribus pro corollario dabatur. Alii à *trachys*, asperum; quod agat de rebus duris, ut de caedibus, et mortibus heroum.

Vel à *trix*, idest fex; eo quod Actores antè inventas personas fecibus ora perlinebant; atque huic sententiae videtur favere Horatius in Arte Poetica:

Ignotum tragicae genus invenisse Camoenae
Dicitur, et plaustris vexisse poëmata Thespis,
Quae canerent, agerentque peruncti fecibus ora.

Vel à *tragos*, idest hircus, et *ode*, cantus, quod hircus vinearum hostis Baccho mactaretur, et caneretur: Sive quòd in hujusmodi Poëmate Victor hirco donabatur: Hinc Horatius,

Carmine, qui tragico vilem certavit ob hircum.

§. 2.

EST autem Tragoedia Poëma dramaticum, illustrem fortunam, sed infelicem gravi, et severa oratione imitans, ad affectus misericordiae, et timoris ciendos, animosque ab his purgandum.

Di-

Dicitur *Poëma dramaticum* locô generis : Addimus *illustrem fortunam*, ut differat à Comoedia, quae res leves, et humiles imitatur, sed *infelicem*, ut distet ab Epopaeja, cujus actio illustris est, et secundâ fortunâ gesta. Subjungitur *gravi, et severâ oratione*: nam proprium instrumentum Tragoediae est oratio gravis, et illustris, juxta illud Horatii :

Omne genus scripti gravitate tragoedia vincit.

Unde in proverbium abiit *tragica oratio*, prò sublimi, in quo differt a Comoedia, cujus oratio pedestris est. Quod autem dicitur *severa* ab epica dictione discriminatur, quae quidem gravis est, sed non semper severa.

§. 3.

DUbitatio tamen non levis incidere potest ex eo, quod supra dictum est, Poësim spectare ad animorum oblectationem. Quae autem delectatio ab expressis calamitatibus, luctu et caede proficisci poterit? At si rem ad trutinam revocemus, eam nobilissimè percipiemus. Quis enim contagio grassante unius mortem lacrymatur? Quis ardente bello mille deflet de medio sublatos? Sic igitur in tragoedia frequentes aguntur calamitates, ut spectator crebris miseriis, et luctibus, crebris caedibus, et calamitatibus non deterreatur, sed delectetur; non quidem luctu, et funeribus, sed artificiosa illa rerum imitatione.

§. 4.

ACcedit etiam, quod aliena calamitas, quippe quae nobis minimè nocet, nostros quodammodò animos vellicat, ut ii de sua immunitate gratulentur. Hinc cecinit Lucretius:

Suave mari magno turbantibus aequora ventis,
E terra magnum alterius spectare laborem:
Non quia vexari quemquam est jucunda voluptas,
Sed quibus ipse malis careas, quia cernere suave est.

§. 5.

ORigo autem Tragoediae Comoedia antiquior est, ut ajunt complures.

Scaliger vero Lib. I. Poëtices Cap. IX. in aliam discedit sententiam; et quamvis saepe primùm comoediam excultam esse fateatur, utraque tamen ex sacris Bacchi effluxit, ut ait Atheneus.

§. 6.

QUod si antiquae Tragoediae formam spectemus, iis quos suprà ex Atheneo excerpimus terminis comprehendebatur, donec Thespis unum addidit histrionem; atque huic deinde alium adjecit, et pulpita reperit, ut à sublimi loco egissent Histriones, atque habitum, sermonemque personis convenientem invenerit; quare Flaccus.

Post haec personae, pallaeque repertor honestae
Aeschy-

Æschylus modicis lustravit pulpita signis,
Et docuit magnumque loqui nitique cothurno.

§. 7.

QUod attinet ad partes qualitatis Tragoediae, animadvertendum totidem numero esse in Tragoedia, quot in Dramate; nempe fabulam, mores, sententiam, dictionem, apparatum, et modulationem.

§. 8.

FAbula unam comprehendit Actionem, non autem actionum congeriem; neque haec unitas tam latè diffunditur, quam epicae actionis. Et sanè Epopaeja longè plura, ac diversa comprehendere potest episodia, quae admittere non licet Tragoediae. Haec enim agendo imitatur, ac proinde intra unum solis ambitum debet contineri.

At Epopaeja latiùs patet; atque una actio epica, v. gr., Æneae adventus in Italiam, argumentum multis potest esse tragoediis.

§. 9.

PRaeterea omnino ficta nequit esse actio tragoediae, quum personas illustres assumat, quae latere non possunt. Fas est tamen Actionem veram ex Historiis desumptam fabulis exornare, in quibus potissimum similitudinis ratio habenda est. In argumentis autem, quae ab antiquis decerpimus minimè peccabimus, si ea secu-

ti

ti fuerimus, quae illi consentanea, et verisimilia tradiderunt, quia in hac re praestabilius censeo, illos sequi, quam ab illis recedere.

§. 10.

QUum autem Actio rem, et personam complectatur, et de re hactenus sermo fuerit; videamus nunc de personis.

Sint igitur illustres, atque virtute praestantes, quas fingere oportet infelices, ut humano aliquo casu, aut errore in calamitatem inciderint, aut necessitate compulsae facinus aliquod commiserint; atque id quidem, quamvis in optima Tragoedia requiratur, non est tamen reprehendenda ea, in qua nequissimae agerent personae.

§. 11.

PRaeterea loqui etiam dii possunt, ut in Prologo, et praecipuè in solutione, aut oraculis.

Quoad verò personarum multitudinem, ex usu Scriptorum pauciores adhibentur in Tragoedia, quam in Comoedia; neque fas est personarum maximè illustrium nomina confingere, sed erunt vera retinenda.

At in episodiis ficta aliqua nomina usurpare piaculum non erit.

§. 12.

§. 12.

EXitus autem actionis tragicae non semper infelix fuit, sed in gaudium inopinatum aliquando desiit. Quod damnum imbecillitate eorum, qui in theatro adsunt censet Aristoteles, quos aliquando malunt hilares, quam tristes Poëtae dimittere.

§. 13.

MOres a Tragoedia non humiles, aut ridiculi, sed graves semper erunt.

Sententia item gravis, et illustris, quae rebus, personisque conveniat, in quibus acumina diligentiùs exposita, erunt fugienda.

Dictio quoque gravis, et sublimis esse debet; quae tamen sententiis non afferat obscuritatem; sed tamen varia dictio erit pro varietate personarum. Neque tamen sublimis erit dictio servi alicujus, aeque ac domini regis, quod ad structuram.

Tragoedia ab initio tetrametris jambicisque plerumque constituta erat; deinde majoris gravitatis gratiâ trimetros assumpsit, in quorum numero convenientiores sunt, qui pedes dissillabos habent.

Caeterum Senecam sequi optimum censeo, qui nimiam Graecorum religionem aequè ac Accii vitiosam licentiam evitavit.

Quintilianus quoque dixit, Euripidem aliquando humilem esse, Eschylum ad vitium declinare grandi loquii,

quii, sine vitio Sophoclem; et Virgilius pro carmine sublimi ait:

Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno.

§. 14.

APud Latinos verò Fabius docet, Accium, et Pacuvium esse clarissimos, destitutos tamen nitore, postremamque manum temporibus potius, quam illis defuisse.

§. 15.

PArtes quantitatis Tragoediae sunt *Diverbia*, et *Chorus*.

Diverbia in locutionem personarum per Actus, et Scenas dividuntur.

Actus autem per chori interpositionem, aut tibicinum cantu separantur; nec plures, quam quinque, nec pauciores esse debent.

§. 16.

DIvisio in Scenas fit ingressu, et discessu personarum.

Praeterea *Diverbia* dividuntur in *Prothesim*, *Epithesim*, et *Catatresim*.

Prothesis proponit, et adornat argumentum; *Epithesis* turbas ciet; *Catatresis* nodum dissolvit.

§. 17.

§. 17.

Chorus autem concentus interponitur Actibus, ne otiosi spectatores destituantur, ejusque munus est, de iis rebus, quae agantur sententia ferre, et sensum populi spectatoris exprimere.

Convenit vel viris, vel mulieribus, non tamen pueris. De melodia verò, et apparatu, nihil ad Poetam.

CAPUT III.

De Comoedia.

§. 1.

COmoediam dictam vult Vossius à *Como* hilaritatis, et temulentiae deo, à quo et commessatio nomen deduxit; sed deum ipsum idem Vossius putat venire à *Camos* Moabitarum numine, de quo loquitur Scriptura sacra Numerorum Libro Cap. 21. 29. 30.; ex radice *camos*, *abscondit*, *latuit*; et propterea idem sit ac Bacchus. Ego autem dixerim, Vossii pace, dictum esse *comos* à similitudine, quasi ille sit deus caecus. *Comos*. Philon exponit *palpationem*, quod proprius ert, *non videntis*. Erat igitur hujusmodi deus *oculos non habens*.

Festus autem vult dictam à *comi* vicus, et *ode* cantus, quasi sit *paganus cantus*. Atque hoc quidem Comoediae originem exprimere videtur. Nam vindemiarum tempore post labores juvenes ad prandia in vicos profi-

ciscebantur, seseque mutuis conviciis ultrò per jocum infectabantur.

§. 2.

COmoedíam, primò referunt fuisse admodum rudem, deinde Partibus, Actibusque bene distinctam, numeris tamen omnibus ab Aristophane absolutam.

Vetus autem Comoedia erat, in qua vigebat maledicentia potissimum in Choris, donec severissima lege Athenis Comicorum licentia coercita fuit; unde Flaccus;

Successit vetus Comoedia non sine multa
Laude; sed in vitium libertas excidit, et vim
Dignam lege regi. Lex est accepta, chorusque
Turpiter obticuit sublato jure nocendi.

Itaque sub Philippo Macedone, Alexandri patre, nova Comoedia initium habuit, in qua erant melliti sales sine dentibus acuminatis.

§. 3.

HÆc autem, de qua praecipuum hic sermonem instituimus, est Poëma dramaticum, humiles, et privatas actiones non sine multis jocis, et facetiis imitans.

Differt autem à Tragoedia, tum re, quam imitamur, tum dictione. Illa enim actiones illustres, et clarissimos viros; haec privatas, tenues, et vulgares personas assumit.

Praeterea illa gravi, et severa dictione verba facit; haec remissa, multisque jocis respersa.

§. 4.

§. 4.

QUod spectat ad partes qualitatis Comoediae sciendum, easdem esse, quae Tragoediae, nempè *Actionem*, *Mores*, *Sententiam*, et *Dictionem*.

Actio tota fingi potest à Poëta, cum sit obscura uti personae, quibus Poëta nomina effingere solet. *Mores* leves debent esse, ac tenues, sicuti decet privatos homines. Quamobrem in Comoedia perturbationes, aut nullae sunt, aut non admodum vehementiores.

Sententia humilem conditionem nequit superare.

Tandem *Dictio* comica ad risum captandum jocis, (semper tamen honestissimis) facetiis, argutiisque debet esse valdè referta.

§. 5.

JAmbicis autem in Comoedia utuntur, ut dictio comica quotidiano sermoni non sit dissimilis. Aliquandò tamen comica dictio tollit se ab humo, ut affectibus vehementioribus sit aptior. Hinc Horatius:

Interdum tamen et vocem Comoedia tollit.

§. 6.

INsuper partes qualitatis Comoediae eaedem sunt, ac Dramatis. Censentur autem accessoriae *Prologus*, in quo argumentum narratur, aut adversariorum calumniis obviam imus; et *Chorus*, qui veteri tantum Comoediae interponebatur.

At nunc pro Choro induxerunt mimos, qui singulare quoddam brevissimum Poëma constituunt, ad risum excitandum compositum.

§. 7.

COmoediarum autem aliae sunt *Palliatae*, ubi graecum erat argumentum; aliae *Togatae*, ubi romanum. Aliae *Statoriae* sine perturbationibus. Aliae contra *Motoriae*: Aliae *Mixtae*; etc.

LIBER III.

De Poesi Exagematica, et Mixta.

PROŒMIUM.

SUperiori Libro de Materia Dramatum generatim, et peculiariter verba fecimus; reliquum est, ut alias Poëseos species narrativam, et mixtam paucis expediamus.

Quum autem harum sit princeps Epopaeja; ab hac incipiet parvulus hic Tractatus.

CAPUT I.

De Epopaeja.

§. 1.

AB *Epos*, et *poico* ortum habere Epopaejam nemo potest inficiari. Quamvis enim *Epos* sermonem significet, tamen per excellentiam hexametro versui convenit; qui quoniam illustrium heroum laudibus dicendis adhibetur, appellatur heroicus.

§. 2.

EST autem Epopaeja Poësis *hexametris carminibus, claras illustrium virorum actiones sublimi oratione narrans*. Quare in pluribus à Tragoedia discriminatur; cui videtur affinis; et in pluribus cum ea minimè convenit. Claras sunt utriusque personae: at Tragoedia heroum calamitates, Epopaeja virtutes, et egregia tantùm gesta proponit.

Insuper ambae, graves, et claras actiones, necnon grandiloquentiam exigunt; hoc tantùm discrimine, quod Tragoedia imitatur agendo; Epopaeja autem narrando.

Quamobrem longè admiratione digniora tradere potest Epicus, quam Tragicus; sicut quoque episodia longiora interponere. Et sanè unitas epicae actionis extra Tragoediae terminos se se extendit, nec unius diei spatio determinatur, sed tempore gaudet indefinito.

§. 3.

EPica autem solo sermone contenta est; at Tragoedia non solum sermonem, sed etiam harmoniam, et ritlmum postulat.

Epopaejam multis titulis Tragoediae praestare nemo non videt; et jure merito. Splendorem enim longè majorem aucupatur à clarioribus episodiis.

Epopaeja deinde felicem exitum, et heroum felicitatem ob oculos ponit.

Tragoedia nonnisi funebri, et calamitatibus affluente exitu terminatur.

Epo-

Epopaeja demùm affectus illustriores excitat, et nobiliores; scilicet virtutis amorem, et gloriae desiderium. Hinc Virgilius:

Disce, puer, virtutem ex me, verumque laborem;
Fortunam ex aliis . . . . .

§. 4.

EPopaejae Auctor vulgo putatur Homerus, quia nemo antiquior hoc habetur.

Hexametri verò carminis originem ad Pithia oracula cum Plinio aliquibus placet revocare.

His autem praetermissis, immoremur tantisper in Epopaejae dispositione; cujus partes sunt *Propositio*, *Invocatio*, et *Narratio*.

§. 5.

Propositio, quae nequit esse nimis longa, et in qua ingenii ostentatio uti in oratoriis Prooemiis est effugienda, ea est in qua dicendorum summa, et Poëtae intentio breviter aperitur.

Non debet esse obscura; propterea quod praeponitur Poëmati, ut lux rebus dicendis afferatur.

Quamobrem enitatur Poëta, vel proprio nomine personam exprimere, vel claro patronimico, vel aliqua circumlocutione.

Hinc Virgilius:

Arma, Virumque cano: Trojae, qui primus ab oris
Italiam fato profugus, Lavinaque venit
Littora . . . . .

§. 6.

PRopositioni succedit Invocatio, qua divinum auxilium exposcimus. Quare nobis benevolentiam, et Poëmati admirationem captabimus.

Benevolentiam profectò nobis comparabimus, si nostri ingenii tenuitatem fatebimur. Etenim summa attentione auditur opus illud, in cujus praefatione veluti nos extra humanas vires extendentes Superos invocamus.

Insuper *Invocatione* nihil à nobis numeris omnibus absolutum, sine divina ope fieri posse demonstrabimus.

Graeci autem ab Invocatione carmina aggrediebantur, uti videre est in Homero.

§. 7.

NEque solùm divinam opem, verum etiam heroum praesidium possemus invocare.

Itaque Maro in Georgicis invocat Augustum, Statius Domitianum, Lucanus Heroem, Valerius Flaccus Vespasianum, Ovidius in Fastis Germanicum, et Torquatus Alphonsum.

§. 8.

TErtia Epopaejae pars est *Narratio*, quae est totius facti explicatio: Haec autem ex quibus incipere, in quae desinere, quibus nexibus coagmentari debeat, jam diximus, cum de Fabula egerimus.

§. 9.

§. 9.

INsuper Epica narratio praedita debet esse dotibus, quas in narratione oratoria enumeravimus, nempè *Probabilitate*, *brevitate*, *perspicuitate*, et *suavitate*; ita tamen ut probabilitas pro verisimile sumatur, et brevitas, ut loquacitati opponatur.

§. 10.

ANimadvertendum denique erit, quod etsi praecipua Epopaejae materia sint: *Res gestae Regumque Ducumque, et tristia bella*; personas tamen viles minimè respuit, non uti principales, sed uti accessorias.

CAPUT II.

De Bucolica.

§. 1.

DE caeteris Poëseos partibus, quae sub exâgematico, et mixto genere comprehenduntur verba facimus; de Ecloga nimirum, Satyra, et Elegia; quoniam hae hexametro etiam carmine utuntur, quamvis Elegia pentametrum etiam interserat.

§. 2.

BUcolica, ad quam pertinet Ecloga à bubulcis inter caeteros pastores illustrioribus nomen accepit, quamvis opiliones, et caprarios etiam non respuat, aequorum pastoribus exclusis, propterea quod equus bello potius, quam rusticis rebus inservisset.

§. 3.

HUjusmodi Poëmata dicuntur *Eclogae*, quoniam ex pluribus deligebantur.

Et sanè eclogin, *deligere* significat: Propterea quod Virgilius, qui primus hoc nomen Bucolicae induxit, quaedam imitando ex Theocrito delegerat, vel quod ex multis quae scripsisset, haec sola delegerit: Quamobrem etiam Horatianae odae, ut ait Lambinus, olim Eclogae nuncupabantur.

§. 4.

EJus originem post Apollinem, et Panem, cui cicutae inventionem tribuit Virgilius, aliqui assignant Daphni Siculo. Extant etiam nunc Dionis, et Moschi Syracusanorum Idyllia, et aliqua apud Theocritum, quem secutus est Virgilius, et post hunc Eques Neapolitanus Actius Sincerus Sannazarius, qui non paucam est assecutus laudem, gloriamque, de quo extat illud.

Da sacro cineri flores: Hic ille Maroni
Sincerus Musae proximus ut tumulo.

Se-

Sepulchrum enim Sannazarii ostenditur Neapoli apud illud Virgilii.

§. 5.

BUcolica igitur est imitatio rusticae, aut quasi rusticae actionis. In hac tamen rustica Poësi non solum comprehenduntur Pastores, verum etiam Piscatores, quod perbellè à Sannazario tractatum est in sua Arcadia.

Itaque harum personarum contentiones, ludosque continet. Quum autem rusticas, et agrestes actiones imitatur, Bucolica maximè discriminatur à Poëmatibus supradictis.

§. 6.

IN hac Poëmate, uti et in caeteris, si Poëta ipse loquatur, dicitur genus exagematicum, ut est Ecloga illa:

Prima Siracusio dignata est ludere versu.

§. 7.

DIcitur verò Dramaticum, quando Poëta per fictas personas loquitur, qualis est illa:

Die mihi, Dameta, cujum pecus? an Meliboei?

§. 8.

§. 8.

MIxtum dicitur, cum Poëta partim per se, partitur per assumptas Personas loquitur, ut:

Pastorum Musam Damonis, et Alphesiboei.

§. 9.

REs autem, quae in hoc Poëmate tractantur pastorales esse debent, et rusticae, nec non ipsae personae à rure erunt desumendae.

Nihil igitur Bucolica sapit illustre vel urbanum, sed omnia ad rus agros, sylvas, et lucos pertinent. Hinc fit, ut frequens mentio fiat gregis, fontium, convallium, montium, et aliarum rerum hujusmodi.

Praeterea Comparationes à rure sumantur:

Hinc Virgilius:

Nam neque me tantum venientis sibilus austri,
Nec percussa juvant fluctu tam littora; Nec quae
Saxosas inter decurrunt flumina valles.

Rusticè perpetuum tempus exprimitur.

Dum juga montis aper, fluvios dum piscis amabit;
Dumque thymo pascentur apes, dum rore cicadae
Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt.

Id quod in Epopaeja illustrius expresserat in persona Æneae cum Didone alloquentis:

In freta dum fluvii current, dum montibus umbrae
Lustrabunt, convexa polus dum sydera pascet;

Sem-

Semper honos , nomenque tuum , laudesque manebunt .

§. 10.

PRaeterea Metaphorae , et Allegoriae à rure sumentur , uti videre est in eodem Poëtarum Principe .

Claudite jam rivos , pueri , sat prata biberunt .
Qui legitis flores , et humi nascentia fraga ;
Frigidus , o pueri , fugite hinc , latet anguis in herba ,
Dum tu sectaris apros , ego retia servo .

§. 11.

ILlustre verò argumentum Bucolica Poësi exprimi potest , Virgilii vestigiis inhaerendo , qui tum priùs se excusat Eglogâ IV.

Sicelides Musae paulo majora canamus .
Non omnes arbusta juvant , humilesque myricae .

§. 12.

AD sublime argumentum tùnc assurgere rusticum carmen poterit , quum Numen aliquod agreste , vel Pastorem entheo furore percitum inducimus , qualis est Ecloga illa :

Silenum pueri Chromis , et Mnasylus in antro

§. 13.

A Greste carmen exordimur interdum ab invocatione:
Extremum hunc, Arethusa, mihi concede laborem.
Aliquandò à Propositione dicendorum.
Damonis Musam dicemus, et Alphesiboei.
Interdum a circumstantia locorum:
Forte sub arguta consederat ilice Daphnis,

§. 14.

Finis autem Bucolicae Poëseos aliquandò fuit silentium sibi indicere Poëta, vel à tempore, vel loco:
Desine plura, puer, et quod nunc instat agamus,
Carmina tunc melius, cum venerit ipse canemus.
Indicit silentium tempus:
Jussit, et invito processit vesper Olympo.
Illustrari autem poterit Ecloga versu aliquo intercalari, qui saepè repetatur, ut:
Incipe Maenalios mecum mea tibia versus.

§. 15.

Metrum autem Bucolicae Poëseos hexametrum est, cui Theocritus interdum pentametrum subjicit. Quamvis elegantius sit si à dactylo pede incipiat vocem integram absolvente, et quartus pes à voce aliqua claudatur, praesertim si fuerit dactylus, ut:
Tityre pascentes à flumine rejice capellas.

CA-

CAPUT III.

De Satyra.

§. 1.

GRavis, et maxima exarsit inter Scriptores controversia de hujus Poëseos origine. A Satyris, qui semper illoti, et petulantes dii habiti sunt, Satyram cognoscere arridet Fabio, Donati vestigiis insistenti.

Et sanè Satyri ad risum movendum, et temperandam Tragoediae gravitatem tanquam appendices adhibebantur. At ex Vossii sententia, Satyra nuncupata est lanx illa, quae uvis, et pomis affluens, à Satyris in sacris Bacchi tenebatur, de quò loquitur Maro Georgicorum Lib. II.

Ergo ritè suum Baccho dicemus honorem
Carminibus patriis, lancesque, et liba feremus.

Ab illa igitur rerum varietate, et mixtione nomen duxit Satyra, quae de Hominum vitiis generaliter confusè, et mixtè agit.

Quod innuit Juvenalis.

Quidquid agunt Homines votum, timor, ira voluptas,
Gratia, discursus, nostri est farrago libelli.

§. 2.

§. 2.

ET priscis saeculis apud Romanos, et Graecos Poëma *Satyricum*, Dramaticum fuit, utì constat ex verbis Livianis Historicorum Libro II. donec Livius Andronicus fabulam, et Lucilius carmen maledicum, et satyricum extra scenam dedit.

§. 3.

ITaque Satyra est poëtica narrativa corruptos Hominum mores generaliter tantùm perstringens: Unde ejus materia sunt Hominum scelera, ac vitia, non quae horrorem, sed risum movere debent.

Finis est facilis, prompta, atque opportuna morum emendatio.

Forma vero dictio jocosa, et mordax, neminem tangens in particulari. Haec sit hexametro versu contenta. Jocus esto simplex; non autem mordacitas praevalere in Satyris debebit: Et omnis evitabitur scurrilitas, quae Christifideles maximè dedecet, vel pusillorum aures laedere posset.

CA-

CAPUT IV.

De Elegia,

§. 1.

TErtia haec illorum Poëmatum Pars est, quae hexametrum usurpat.

Elegiae verò nomen à dolore, et misericordia promanat; Et sane *elegin* apud Aristophanem est flentium vox; Quamobrem Ovidius in Epistolis:

Fletus amor meus est, Elegeia flebile carmen.

Unde Elegiam vocaverunt inscriptionem sepulchro appositam, quae a Marone elogium est nuncupata.

Et licet de Elegorum Auctore non conveniant inter se Scriptores, quum cecinerit Horatius:

Quis tamen exiguos elegos emiserit Auctor
Grammatici certant, et adhuc sub judice lis est.

Tamen compertum est in illis apud Graecos palmam tulisse Challimacum Cyrenaeum, et inter Romanos Tibullum, Propertium, et Ovidium, qui de se ipse ausus est canere:

Tantum se nobis Elegi debere fatentur,
Quantum Virgilio nobile debet opus.

Inter hos tamen purior existimatur Tibullus. Luctus tamen olim, et funera Elegiae argumenta subministrabant; deinde ad gaudium quoque sese extendit Elegia.

Quare Flaccus:

Versibus impariter junctis querimonia primum,

Post etiam inclusa est voti sententia compos :

Itaque grave subjectum rejicit ; et quamquàm ad gravissimas res illud Ovidius adhibuerit , de se tamen conqueritur Lib. II. Fastorum .

Quid volui infelix Elegis imponere tantum
Ponderis ? Heroi res erat ista pedis .

§. 2.

QUod autem rejiciatur gravitas ab Elegia , proma. nat ab alterna pentametri tenuitate ; hinc exigui etiam Elegi ab Horatio nuncupantur .

§. 3.

ORnamentum autem hujus carminis petitur ab iis , quae stylum reddunt dulcem , suavem , perspicuum , et crebris exclamationibus affluentem .

§. 5.

ELegia igitur non solum desiderat verba pura , et latina , verum etiam ab omni prorsus horrore , faeditate, atque asperitate aliena . Quamobrem suavis esse debet stylus , ut de morte Tibulli ait Domitius Marsus :

Te quoque Virgilio comitem , ingeniose Tibulle,
Mors juvenem campos misit ad elysios ,
Neu foret , aut Elegis molles qui fleret amores ;
Aut caneret forti regia bella pede .

CAPUT V.

De Lyrica Poësi,

HActenus de iis, quae per hexametri usum post Epopaejam fuerunt dicenda, reliquum est, ut de Poësi melica, seu lyrica brevem sermonem instituamus.

Appellata est igitur lyrica Poësis, quod ad lyram cantaretur, quamvis etiam ad tibiam cantari soleret.

§. 2.

MAteria hujus Poëseos latissimè patet; Licèt enim primum deos, et heroes laudasset, deinde tamen convivia, et amatoria complexa est.

Unde cecinit Flaccus;

Musa dedit fidibus divos, puerosque deorum.
Et pugilem victorem, et equum certamine primum,
Et juvenum curas, et libera vina proferre.

§. 3.

MElici carminis plura sunt genera. Quaedam enim referuntur ad deos; quaedam ad homines; quaedam ad deos simul, et homines; quaedam ad fortuitos rerum eventus.

§. 4.

PRioris generis ad deos pertinentis sunt Hymnus Dei laudem continens, vel Angelorum vel Sanctorum. Dythirambus in laudem Bacchi: Paean in laudem Apolli-

nis; quod carmen ad avertendum malum ab Ethnicis canebatur.

§. 5.

ALterius generis ad homines pertinentis sunt Encomia illustrium Virorum laudes continentia: Epinicia, quibus partae victoriae celebrantur: Hymenaei in nuptiis à virginibus, juvenibusque cantati.

§. 6.

TErtii generis sunt *Parthenia*, quae à virginibus canebantur, et *Precatoria* sive *Votiva*; quibus Deum, vel alios rogamus.

§. 7.

QUarti demum generis sunt *Soteria*, ob valetudinem restitutam. Epicedia sunt ad funus pertinentia.

§. 8.

EXcluditur autem à materia lyricorum belli atrocitas. Ratio tractandi lyricum argumentum dispositione, et stylo continetur; et sanè quod spectat ad exordium Pindarus altius repetere illud solet. Horatius autem statim rem ipsam aggreditur, et in progressu extra positum argumentum progreditur.

§. 9.

§. 9.

STylus autem sit suavis, et amoenissimus. Quod autem reliquum est, satis abundè de carminum lyricorum venustate loquuti sumus in Grammatica.

Agendum hoc loco denique esset de instrumentis, quibus Lyrici utebantur, at brevitatis studio id praetermittimus.

CAPUT VI.

De Epigrammate.

§. 1.

DEfinitur Epigramma à Scaligero: *Breve Poema*; Ab aliis *simplex factum, vel rem describens; vel rem ex re deducens.*

Hinc duplex est Epigrammatis genus: Alterum *simplex*, *mixtum* alterum.

Epigramma simplex est, quo rem aliquam simplici oratione narramus; uti est illud Neapoli in Virgilii sepulchro:

Mantua me genuit; Calabri rapuere: Tenet nunc
Parthenope. Cecini pascua, rura, duces.

§. 2.

MIxtum Epigramma est, quo aliquid ita narramus, ut cum aliis conferamus, vel ex re alia repetimus argumenta, uti est illud Martialis ad Trajanum:

Tanta tibi est recti reverentia Caesar, et aequi,
Quanta Numae fuerat: sed Numa pauper erat.
Ardua res haec est opibus non tradere mores.
Et cum tot Craesos viceris, esse Numam.

§. 3.

ALiquandò fit deductio major, quùm scilicet ex re scripta majus aliquod inferamus. Ita Martialis ex enumeratis Orbis terrarum prodigiis deducit mirabilius esse Caesaris Amphitheatrum:

Omnis Caesareo cedat labor amphitheatro.
Unum prò cunctis fama loquatur opus.

§. 4.

SIc alibi dictis iis, quae Domitianus diis praestiterat, infert plus illos Domitiano, quam hunc diis.

Exspectes, et substineas, Auguste, necesse est:
Nam tibi quod solvat non habet arca Jovis.

§. 5.

§. 5.

Dicitur minor deductio quùm ex majori deducimus minus; uti illud ejusdem:

Spectat Alexandri picta ut certamina Caesar:
Ast ego nondum aliquid gessi, ait illacrymans;
Quod si Alexander spectasset Caesaris acta,
Dixisset, Persas vincere, pigritia est!

Profectò minus est pigritiam putare debellatos fuisse Persas, quam Caesarem nihil egisse in comparatione Alexandri Magni.

§. 6.

Tandem fit par deductio, quùm ea, quae colliguntur, ex dictis paria esse affirmamus. Ita Martialis:

Quae majora putas miracula, summus utrisque
Auctor adest: Haec sunt Caesaris; illa Jovis.

CAPUT VII. ET ULTIMUM

De Sylva.

§. 1.

SYlva est carmen subito calore fusum ; ita nuncupatum quod sine delectu scribebantur carmina ab styli sylva : Hujus rei peculiaris auctor fuit Statius.

Sunt autem argumenta quamplurima, quae stylo ex tempore concepto funduntur.

Primum est *Epithalamium*; idest, nuptiale carmen, quod in nuptiis canitur ; cujus partes sunt plures.

§. 2.

PRima Pars occupatur in iis, quae nuptias praecesserunt.

Secunda in conjugum laudibus, vel à parentibus, vel à patria, vel praecipuè à virtutibus animae, et corporis petitis.

Tertia versatur in faustissimis auspiciis.

Quarta in votis filiorum suscipiendorum, etc.

§. 3.

§. 3.

TRibus autem rationibus Epithalamium a Poëtis scriptum est; vel scilicet solo cantu continebatur post caenam haberi solito, in quo intercalare carmen interponebatur, ut à Choro juvenum, virginumque intercineretur; vel sola Poëtae narratione; vel cantu, et narratione mixtum.

§. 4.

SEcundum est *Genethliacum*, quod carmen natalitium est, quô cujuspiam nativitas celebratur, vel nativitatis anniversarium; cujus carminis materia, vel eruenda est ab iis, quae nativitatem antecurrunt, uti parentum nobilitate, fortitudine, et virtute. Vel à tempore, quo puer natus est; insigni nimirum die, vel pacis, vel belli tempore; vel ab iis, quae nativitatem consequuta sunt, nempe totius Populi communi laetitia, hostium timore, atque futurorum facinorum auspiciis.

§. 5.

POssumus etiam alloqui, vel puerum ipsum dona sistendo; vel Deum enixè deprecari, ut infantem pro publica utilitate servet incolumem; vel sermonem referre ad parentes, vel ad patriam.

§. 6.

§. 6.

PUlcherrimum est Genethliaci exemplum Virgilii Eclo-ga IV. in nativitate filii Pollionis.

Ibi Sybillinis oraculis antecurrentia nativitatis augu-ria tamquam de puero illo edita recenset: Deinde Lu-cinam precatur ut puero faveat. Posteà divinam vati-cinatur Pueritiam: Praeterea ipsum affatur infantem. Insuper orbis tranquillitatem commemorat; Et tandem Parcarum fatis, blanditiisque, quibus puerum ad risum invitatur, finem Eclogae imponit.

§. 7.

TErtium est Epicedium, et definitur: *Funebre car-men, quod insepulto cadavere canebatur*. Ut illud Virgilii.

Extinctum Nymphae crudeli funere Daphnim
Flebant . . . .

§. 8.

VOcabatur etiam *Epitaphium* post completam sepul-turam, ut illud ejusdem Virgilii:

Daphnis ego in sylvis hinc usque ad sydera notus,

Epitaphium autem descendit ab *epi*, i. e. *supra*, et *taphos*, *sepulchrum*.

§. 9.

§. 9.

SI verò Carmen erat ad rogum, dicebatur *Naenia*, quae ab Hebraico *nen* suam trahit originem, quod est latinè *querimonia*.

Hoc Carmen in funere laudandi gratiâ ad tibias canebatur à muliere Praefica dicta, quod à Phrigia in Italiam emanavit.

§. 10.

AD Epicedium revocantur *Threni*, idest, funebres cantus (uti fuerunt Jeremiae Prophetae in Scripturis Sacris), non solùm in hominum morte, verum etiam in urbium ruina.

§. 11.

EPitaphium verò brevitate gaudet; tum quia praetereuntibus praeponitur legendum, tum quia convenit dolori; Ut ex. gr.

Hic Balista jacet.

Recto pede perge viator. Et mortis memor esto.

Apud antiquos Latinos vero usus invaluit, ut saepè soluta fieret oratione: sed apud Graecos metrô gaudebat, nec excedebat tetrasticon. Hujusce Carminis materia erant Herois defuncti virtutes; aut mortis simplex detestatio; aut immaturae aetatis; ac inexorabilis falcis miseratio; aut fragilis humanae conditionis commemoratio; etc.

§. 12.

§. 12.

QUartum est *Paean*, quod est carmen in Apollinis laudem ob gloriam Pythonis sublati de medio. Deindè usurpatum fuit pro quovis carmine in victoris laudem decantato; vel cum acclamationibus: *Io Poean*: *Io canite*: *Io triumphe*; vel sine acclamationibus; ut sunt Odae graeci poëtae Pindari.

Constat autem Poean numinum invocatione, et triumphi, opimorumque spoliorum (ex justissimo praelio, ac victoriâ partis) descriptione.

§. 13.

QUintum est Dithyrambus à *dis*, i. e. *bis*, et thyra, *fores*, quia è binis foribus egressus est, et bis natus, semel è Semele, iterum è femore Jovis, ut fabulantur, unde *Bimater* nuncupatus est, originem trahit.

Hoc autem Carmen, quod cum saltatione cantabatur descendere opinor à rusticorum conviciis, et hilaritate, qui vino ebibito, Bacchi laudes decantabant. Hinc est ut gradisonis verbis, et valdè compositis gaudeat, audaciam quamdam praeseferat in metri licentia, cùm varia carminum genera appositè complectatur.

§. 14.

§. 14.

SExtum est *Carmen dimissorium*, quod in amicorum discessu canitur. Amicum? Versatur in ostendendam animi nostri erga abeuntē benevolentiam, ac timorem, ne quid ei accidat in itinere. Ideo cum quadam animi sollicitudine itineris pericula describuntur: Deindè conditionem nostram tristem in amici absentia, etc.

Demum coelestia numina humiliter obsecrabimus, ut eum incolumem reddant eò, quo debet proficisci.

Talis est ode illa Horatii:

Sic te Diva potens Cypri, etc.

§. 15.

SEptimum est *Carmen de reditu*, quod situm est in eo, ut incolumi amico, aut Principi gratulemur.

Sumitur materia à moerore pulso, redditaque laetitia.

§. 16.

OCtavum est *Pervigilium*; ita nuncupatum à nocturnis vigiliis; quia cantabatur nocte festum aliquem diem antecurrente.

Ejus stylus floridus, et amoenissimus esse debet; soletque comprehendi alternis versibus.

§. 17.

§. 17.

NOnum est *Carmen Anacreonticum* ab ejus Auctore Anacreonte sic dictum.

Ejus stylus ita suavis est, ut Anacreon mella fudisse Scaligero videatur. Laeta venustas hujus carminis sita est in materiae amoenitate, et dictionis floriditate, vel ob ejusdem rei repetitionem, vel ob clausularum jucundissimam brevitatem.

§. 18.

DEcimum est *Dirae*, quae sunt brevia maledicta, emphatica, quibus aliquis Diis Manibus à Poëtis devovebatur.

Occupabatur hoc carmen in execrationibus contra cacodaemones, et praescitos; contra scelera, et vitia.

§. 19.

UNdecimum est *Anagramma*, sivè *Anagrammatismus*; qui tùnc habetur, quum ex literarum trajectione alia sententia generatur, ut

Roma *Amor*.

Maria *Amari*.

Vide in Rhetorices Compendio.

§. 20.

§. 20.

ULtima horum carminum species vocatur *Soteria*; quae funditur ob recuperatam salutem, cujus materia sumitur ex aliqua expressione laetitiae, et ex descriptione malorum, à quibus noster amicus, ope divina fretus, jam ereptus est, quaeque favore coelesti evasit: DEUMQUE O. M. aequum est deprecari, ut illum pro communi proximorum utilitate, ac laetitia per diuturnam annorum seriem sanum servet, atque incolumem.

F I N I S.

ORATIO

PRO STUDIIS INSTAURANDIS

DE BONARUM LITERARUM, ET SANÆ SCIENTIÆ JUCUNDITATE, ATQUE UTILITATE,

HABITA IN COLLEGIO

S. M. VERITATIS

NEAPOLIS

PP. DISC. S.P.N. AUGUSTINI

Mense Novembri. Anno 1789.

Digitized by Google

PRÆMIUM.

QUae singula Hominibus ad recte dicendum accedentibus timorem facere consueverunt, Patres amplissimi, Vosque caeteri Auditores ornatissimi, illa mihi hodierna die sese objiciunt universa.

Sive enim Oratoris imbellicitas afferre perturbationis aliquid potest, is ego sum, qui in dicendi genere ne mediocriter quidem sum versatus: Sive Audientium dignitas; lectissimorum Hominum adstante frequentia dicimus; Sive ipsa Orationis materia, dicendique conditio, ita dicimus, ut sit nobis eodem tempore de ingenio, de scientia, ac doctrina, de gloria, ornamentisque omnibus, si quae fortè vel exigua nobis inesse contingit, in hoc literarum certamine periclitandum. His quidem omnibus sic me commoveri sentio, Auditores, ut demandatam mihi provinciam renuissem, nisi me ejus imperium, cujus apud nos plurimum valet auctoritas, atque obtemperandi cupiditas, impulisset. Illud etiam accedit, quod me timentem corroborat, quod apud vos verba facio, humanissimi Auditores, qui vestra incredibili benignitate quidquid ego dicam, non cum vestra dicendi copia, sed cum mea potiùs inopia comparandum putabitis.

PROPOSITIO

Divisa in 2. Puncta.

HUjusmodi spe, velut firmissimô quodam propugnaculô munitus, de laudibus literarum dicere instituam;

I. Et scientiis quidem nihil jucundius;

II. Nihil fructuosius inveniri studiosae juventuti ante conspectum vestrum paucis demonstrando, eorum animos ad amorem sapientiae acriùs incendere atque inflammare conabor.

Interea vos, Auditores (quod quidem magis consuetudine, quàm quod ita necessarium judicem) oro atque ob testor, mihi res pulcherrimas brevissima Oratione comprehendere meditanti exigui temporis attentionem ne denegetis.

PARS

PARS PRIMA

Introductio.

MAgna omnino vis, magnumque momentum positum est in literis, Auditores, ut jucundissima voluptate animos perfundant, si praeter scientias, nihil aliud sit, quod vehementiori desiderio animus complectatur. Quae enim consequimur sive animi, sive corporis bona, ea quidem tanta delectatione animum complere, quanta animi cupiditate antea prosequuti sumus, id adeo certum est, ut nemo prorsus, nisi Hominum se prodat insulsissimus, inficiari possit.

P. I.

QUod si hoc ipsum priscorum saeculorum repetitâ memoriâ exponam, cùr, quaeso, Auditores, Jacob connubium cum Rachele, et Israëlitae promissam sibi Terram, et Simeon felix ille Servatoris Vaticinator, optatum à se Messiam, quum demum consequuti fuerunt, tantoperè exultarunt, nisi profectò, quia incredibili quadam animi cupiditate, illud ipsum, quod consequuti sunt antèa vehementer exoptarunt?

Sed quid ego prisca, ac perantiqua commemorem, si ad hoc demonstrandum, ultrò se oculis exhibet, quod nautis in itinere constitutis saepè solet contingere?

Fingite enim, N. N., nautas tranquillo mari ventis secundis, patriam versus remeare; tùnc navigantes inter se jocari, dulces miscere sermones, tibiae fides

blandis impellere digitis, ramibus aërem repercussum leniter verberare. Ast ubi ad optatum litus patriae pervenire contigerit, haec eodem modo illos afficiet, ac si inde nunquam discessissent. Sed rursus animo fugite, insaniente pelago, ventisque saevientibus, inter pluvias, et grandines, fulgura, coruscationes, atque tonitrua, navim ingentibus fluctibus undique jactam, modo in altum tolli, modo ad ima sic deprimi, ut jam jam submergi, et aquis absorberi penitùs videatur: cernuntur trepidare nautae, vota DEO nuncupare, clamores ad sidera ferre, in medio mari se miserè perditos lugere. Misereat nùnc horum DEUS, cujus numini venti ac mare, et omnium quae in Mundo sunt promptè ac feliciter obediunt, et praeter omnium spem ob metum pallidi, atque itinere fessi tandem aliquando ad patrium litus appellunt.

Proh DEUS immortalis! Quis mente assequi potest, quantâ animi voluptate afficiantur, dum patriam cernere, amicos invisere, de naufragio, à quo incolumes evaserunt, sermonem facere contingit? Nec mirum. Periculum enim metum vehementer incussit, metus desiderium incendit, desiderium denique gaudium, atque animi delectationem excitavit,

Quisnam ignorat, sic a natura Homines comparatos fuisse, ut mirà quadam sciendi cupiditate, ac veri inveniendi naturali desiderio supra quàm credi potest vehementer afficiantur? Quis si scientias omnes ac facultates animo perlustraverit, statim se excitatum, atque inflammatum non sentiat, ut quidquid clari aut obscuri, certi, aut incerti, veri aut verisimilis in illis de-

prehenditur ; intellectus acie complectatur ?

Quis illa , quae suspicere solemus , Naturae phoenomena quùm animadverterit , statim desiderio non commoveatur , ut intimas illorum causas , proprietates , naturam , et affectiones perscrutetur ? Testis est solertissimus ille coelestium orbium imitator , Syracusanus Archimedes , quem discendi cupiditas usque adeo occupabat , ut in Syracusanae urbis direptione ita defixus fuerit in studio , ut priùs hostilis gladii cuspidem corpore exceperit , quàm urbem in hostium potestatem sentiret venisse .

Testis est sapientissimus ille Atheniensis Reipublicae moderator , Solon , qui tantô quidem doctrinae desiderio aestuavit , ut quùm morti proximus disputantes amicos inaudiret, erectò (ùt potuit) semimortuo capite eos rogaverit , ut aliquantò loquerentur clarius ; discessum sibi è vita jucundissimum fore arbitratus , si etiam moriens aliquid discere potuisset !

Testes sunt , prisca illa Philosophorum lumina , Aristoteles , et Plato , qui eximiô philosophandi acumine , quùm omnium in se animos convertissent , ad explendam , quae illis inerat , sciendi cupiditatem , nullis vitae incommodis , studiis , vigiliis , laboribus pepercerunt ! Testes sunt praecipuae illae Sanctae Ecclesiae columnae , Ambrosius , Hieronymus , Athanasius , et alii innumeri , qui Rerum Divinarum scientia Christianam Rempublicam illustrarunt ; qui veritatis amore acriùs incensi ab investigandis SS. R. Fidei Mysteriis ad extremum usque spiritum nunquam destiterunt !

Sed quid ego de M. P. Augustino dicam ; N. N. ?

Dies mihi sanè, atque latera deficerent, si ad explendam sciendi cupiditatem, quidquid magno Catholicae rei incremento molitus fuit. ILLE, enumerare instituerem! Hac sciendi cupiditate, supra quàm verbis exprimi, aut mente percipi potest, vehementer inflammatus, Verum perdiligenter inquisivit, inquisitum invenit, inventum explicavit, explicatum ab haereticorum calumniis mirabiliter defendit! Sed quid opus est de ebus certissimis disputationem texere, quùm unicuique notum sit, quod idem Sanctus Pater de animae affectionibus pronuntiavit: *nihil fortius desiderat anima, quam veritatem?*

Quae quùm ita se habeant, scientiâ, ac disciplinâ quid jucundius potest excogitari, quùm praeter illam, nihil omninò sit, quod acriùs atque avidiùs animus concupiscat? Nam, ut singula paucis perstringamus, Philosophicas, Mathematicas, Theologicasque facultates simul animô, et cogitatione percurrite. Quid enim dulcius, suaviusque, quam naturali Philosophia duce intimas rerum causas cognoscere? Abditiora Naturae mysteria introspicere? Abstrusissima quaeque rerum phoenomena investigare? Aut quid felicius quàm Sacrâ Teologiâ facem praebente, ineffabile SS. TRINITATIS Mysterium, Dominicae Incarnationis Sacramentum, victricem Servatoris Gratiam, DEI praedestinantis judicia, et alia quamplurima, quae ex Divina Fide novimus Mysteria, suspicere, ac demirari?

Prodeant qui otiô, ac torpore languentes, humanis, divinisque literis contemptis, in bonis dumtaxat, quae sensus percellunt, hominis felicitatem reponunt. Nos enim,

enim, quos literarum studia vehementer delectant, hujusmodi homines (si per nos fieri liceret) in ultimas regiones amandando, quantum isti terrenis commodis inhiant, sensuum illecebris capiuntur, puerilibus oblectamentis inserviunt, tantum nos temporis in excolendis studiis merito liberalibus, jure impendendum putabimus.

Hujusmodi studiis nos intentos sol relinquet, cum infra horizontem oculis nostris subducit se, et brevis somni interposita morâ, iisdem studiis nos defixos inveniat cum supra horizontem rubescente aëre iterum se extollit. Et ne unquam à proposito avocantium voluptatum illecebris retardemur, uberrimos utilitatis fructus, qui ex literis nobis abundè proveniunt, in memoriam revocemus.

P. II.

HÆc studiorum utilitas, ut qualis quantaque sit, penitus intelligatis, vobiscum animo reputetis oportet, quantum nobis expedire videatur, ut inter idoneos Ecclesiae Ministros, et Mysteriorum DEI Dispensatores adnumeremur.

Id nos saeculorum memoriâ dignos efficiet. Id Christianae Reipublicae sempiternum decus est allaturum. Id praestabit, ut plurimorum saluti summa quoque cum honoris laude prospiciamus.

Ast, N. N., quanta humanarum, divinarumque rerum scientia instructum esse oportet, qui inter idoneos Chri-

sti

sti Ministros, et multiformis Gratiae DEI Dispensatores adscribi postulat ?

In immensum abirem, si omnia id ostendentia Scripturae testimonia in medium proferrem. Quid enim indicavit Apostolus, dum, manum ductante Numine, ad Timotheum scribens, ut vacaret lectioni, et doctrinae illum graviter fuit adhortatus ? Quid qùum Judaeos reprehendens, quod JESUM Christum ignorantes, ex operibus Legis justitiam quaererent, eos zelum DEI et Legis habere asserit, sed non secundum scientiam ?

Haec scientia Sacerdotibus novi Foederis summoperè necessaria adstruitur, dum IPSE DEUS apud Malachíam difficillimum docendi munus illis committens ; *Labia*, inquit, *Sacerdotis custodient scientiam, et Legem requirent ex ore ejus*. Et apud Oséam, literarum scientiâ destituti, prohibetur ne Sacerdotis munere fungerentur : *Quia tu*, inquit, *scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotiô fungaris mihi* !

Sed quibus potissimùm scientiarum subsidiis instructum esse oportet, qui inter eos Sacerdotes adscribi cupit, qui probè suo munere fungantur, et fidelis Ecclesiae DEI Administer proclamari studet ? Illis profecto subsidiis, quibus, vigilantissimi Praesulis, qui hùjus Provinciae clavum tenet, et summorum Virorum quibus docendi munus est demandatum, vel eorum, qui Familiae regimini, vel Juvenibus instituendis praeficiuntur, Adolescentes nostri summa cum honoris laude informari consueverunt.

His potissimùm literarum praesidiis, optimae spei Adolescentes (Vos enim haec mea compellabit oratio)

tio), his inquam literarum praesidiis instructi, difficillima quaeque Sacerdotis munera summâ cum laude explere poteritis. Quid enim ? Optatisne illustriores Italiae peragrare Provincias, ut Vos more Apostolorum confluentibus undique Populis verba facientes, perditos Homines, ut juxta Evangelii normam mores instituant, inflammetis ? Pergite ; et pro CHRISTO legatione fungentes, verbum DEI omni cum fiducia promulgate. Pergite ; sed priùs Christianae eloquentiae in primis studete, ut Audientium animos ad verae virtutis sectanda vestigia incendatis.

PARS

PARS SECUNDA.

Poeticae quoque facultatis studium Juvenes optimi ne praetermittatis; quia illud Oratoribus non parum subsidii solet afferre. Optatis autem Ecclesiae doctrinam ab heterodoxis defendere, ne rudiores, (qui à recta Fide excidere possunt) doctrinis variis abducantur? SS. Romanae Fidei depositum defendite, ac perdiligenter custodite. Defendite, inquam; sed, ut haereticorum audaciam faciliùs retundatis, Geometrica facultate, ac Philosophica priùs comparatis, quae ad acuendam mentis aciem, et Fidei Dogmata explicanda, plurimum conferre videntur, Theologicis disciplinis, omnem sedulam navate operam; et ne heterodoxi Scripturarum textibus obscurioribus abutantur, Linguis Orientalibus pro viribus studete, quarum scientia ad Scripturae Sacrae intelligentiam valdè prodest.

Optatisne ad excipiendas Fidelium Confessiones Judicum instar à DEO constitutorum sacrum Poenitentiae Tribunal erigere, ut detersis peccatorum maculis perditos Homines à recta via aberrantes ad Salutis tramitem revocetis? Erigite. Et (quod ars artium merito dici potest) animabus DEO lucrandis, omni nisu incumbite. Erigite, inquam. Sed priùs in acquirenda morum scientia omne studium, atque sedulam operam impendite, ut prudentium instar medicorum omnes conscientiarum latebras detegatis, et congrua vulneribus Medicamina facilè apponatis.

Epilogus.

QUae igitur cum ita sint, quid Vobis incitamento non est, ut in bonis artibus excolendis operam vestram, atque industriam collocetis?

1. Sive enim, quae profluit ex Literis, animorum delectatione spectetur, quid illis jucundius, quas vehementiori studio animus concupiscat?

2. Sive dulces atque uberrimi utilitatis fructus, qui ex Literis proficiscuntur; quid illis fructuosius, quibus ad ritè explenda Sacerdotis munia facilior vobis aditus aperitur?

Agite ergo, in addiscendis literalibus disciplinis diu, noctuque insistite, Adolescentes optimi; et eorum qui vobis praesunt Praeceptorum conatus vestrâ diligentiâ atque alacri obedientiâ promovete.

Sic enim aliquando fiet, (quod summus DEUS pro hujus Collegii decore, in perpetuum faxit) ut vos tanquam legitima S. P. N. Augustini Soboles ejusdem Ingenii, scientiae, doctrinae, aç pietatis haeredes constituti digni profecto efficiamini, quorum opera SS. R. Ecclesiae praesidium, proximis adjutorium, Literariae Reipublicae ornamentum, Augustinianae Familiae decus immortale jure, ac merito allatum esse videatur.

LAUS DEO.

ERRATA	CORRIGE.
Pag. 15. v. 7. Haec sunt ;	Hae sunt.
23. v. 26. S. Gregorius.	*Add.* S. Ambrosius, et S. Leo, qui
47. v. 25. voalium.	vocalium.
67. v. 9. etc.	*Add.* exponemus.
71. v. 7. *Mechanè.*	*Machina.*
97. v. 97. sententia.	sententiam.
110. v. 24. *rejice ea. pellas.*	*rêice capellas.*
	Ecl. III. v. 96.

ANT 1316463